MUSARUM
Anglicanarum
ANALECTA:

16/57

SIVE,

Poemata quædam melioris notæ, seu hactenus Inedita, seu sparsim Edita, In duo Volumina congesta.

Editio secunda priore multò Emendatior.

VOL. I.

OXON.
E Theatro Sheldoniano, Impensis *Joh. Crosley*,
An. Dom. M. DC. XCIX.

Imprimatur,

JONATH. EDWARDS

Vice-Can. Oxon.

Aug. 26 1691.

Ad LECTOREM.

CUM *in medium ubique afferantur ſelectiores* Italorum Scotorumque Muſæ, *& apud cæteras, pene quotquot ſunt,* Europæ *gentes, Suas pariter edendi, mos obtinuit: Hâc te, Lector benevole,* Anglia *donat Anthologia, ne ipſam à Literato etiam orbe penitus diviſam putes.*

Qua ſuper paucis monendus es. Primum placuit ut loca, ſi quæ ſubinde eſſent obſcuriora, Notis illuſtrarentur. Iſtud autem animi conſilium mutatum iri non ægre feres. Quippe qui, iis omnibus quibus noſtrorum & retrò paululum temporum Annales vel parum innotuerint, Nimium iſtuc & ſupervacaneum eſſemus facturi; cæterum eorum captui quibus omnino erant ignoti, vix ac ne vix Satis.

Quod ad Collectionem attinet, pauca admodum, uti ſperamus, hic irrepſerunt, quæ non inter præſtantiſſima Noſtratium Poetarum carmina jure merito annumerentur: Et quæ non accuratiſſimis Veterum Poematis proximum (licet procul) locum obtineant. Mereantur tecum aliquam gratiam Alia (cujuſmodi ſunt non pauca) quæ Nova prorſus, Alia, quæ licet olim typis excuſa ſint, Rariſſima tandem in manibus teruntur.

Quin tu, quiſquis es, Lector Cantabrigienſis, *levius indignabere, quod paucula quædam jure vel injuria inſerantur, quam quod multa (quippe quorum*

nulla apud nos facta erat copia) *quam accuratiſſima hic deſiderentur. Itaque in votis eſt, ut quod nobis non licuit, Teipſum aſſeras & vindices. Sin id tibi non operæ pretium videbitur, grates merebere, ſi quæ luce digniora æſtimantur, ad* Bibliopolam *noſtrum tranſmiſeris, ut à Nobis in ſequentibus voluminibus præſtetur.*

Quod ſi denique Catachreſin ſonet vel ipſe Libri Titulus, dum Raphaelis Thorii, *in tranſmarinis nati, carmen* Muſis Anglicanis *aſcriptum videas; id nobis eo lubentius ignoſcendum putes, tum quia ab infantulo hic enutritus vixit ſcripſitque,* (*& cuicunque telluri Originem,* Angliæ *certe Poeſin debet*) *tum quia ejus carmen quod à Plurimis in deliciis ponitur, nec Tibi prorſus injucundum fore confido. Sin Peregrinum cogites, Hoſpitii & Amicitiæ jure, apud* Anglos *ſemper ſancto, fruatur.*

TABULA

TABULA

Indicans Lemmata unà cum Paginis Autorumque Nominibus, quorum nonnulla ſuis locis deſiderantur.

HEroes Britannici, *Fr. Herbert, Armig. ex Æde Chriſti.* Pag. 1.

Belloſitum, ſive de Regione Oxonium circumjacente, *Caroli Finch Baronis de Daventriæ Filius, ex Æde Chriſti.* p. 7.

Menſa Lubrica, *Anglicè* Shovel-Board, *Tho. Maſters, Nov. Coll.* p. 17.

In Libellum viri clariſſimi Tho. Hobbii, de Natura Hominis, *Rad. Bathurſt, A. M. Coll. Trin. Oxon. Soc.* p. 20.

Gratulatio Pacis cum Fœderato Belgio Stabilitæ Cromwello Protectore, *R. B. A. M.* p. 22.

In Sereniſſimum Regem Carolum II. Britanniæ ſuæ reſtitutum 1660, *Rad. Bathurſt, M. D. Trin. Coll.* p. 24.

In Obitum Celſiſſimi Principis Henrici Ducis Gloceſtrenſis 1660, *Rad. Bathurſt, M. D. Coll. Trin. Soc.* p. 27.

Gratulatio ob auſpicatiſſimum Sereniſſimæ Principis Catharinæ Luſitanæ Regi Carolo II. deſpon-

desponsatæ in Angliam appulsum 1663. *Rad. Bathurst, M. D. Coll. Trin. Oxon. Soc.* p. 33.
Transactio Philosophica: sive, Metamorphosis Atomistæ in Muscam, *Nichol. L' Estrange Baronett. Æd. Chr.* p. 41.
In Diatribas Medico-Philosophicas de Fermentatione & Febribus, *Philippus Fell, Med. Stud. Oxon.* p. 49.
Tho. Willis M. D. in Cerebri Anatomen Carmen, *Phil. Fell, A. M. Coll. Omn. Anim. Oxon. Soc.* p. 51.
In Obitum Celsissimi Principis Henrici Ducis Gloceſt. *Phil. Fell, A. M.* p. 54.
Gratulatio ob auspicatissimum Sereniſſimæ Principis Catharinæ Lusitanæ Regi Carolo II. desponsatæ in Angliam appulsum 1663, *Phil Fell, A. M. Omn. Anim. Coll.* p. 57.
In Obitum invictissimi Herois Georgii Ducis Albemarliæ, *Phil. Fell, S. T. B. Omn. Anim. Soc.* p. 61.
Soteria Ormondiana, *Tho. Brown, ex Æde Christi.* p. 71.
In Artem Volandi, *F. Harding, A. M. Coll. Div. Joh. Bapt. Soc.* p. 77.
Epulæ Pseudo-Protestantium interdictæ, *Rich. Dyton, Coll. Div. Joh. Bapt. Com. Gen.* p. 82.
Conventicula dissipata, *Jac. Newton Armig. Coll. Trin. Oxon. Soc. Commens.* p. 86.
In Schedulam Monitoriam de novæ Febris ingressu Tho. Sydenham, M. D. *Edv. Hannes, A. M. ex Æde Christi.* p. 90.
Dioptrices Laus, *Nich. Hobart, Armig. Coll. Trin. Oxon.* p. 94.

Carmen

Carmen Pindaricum in Theatrum Sheldonianum, *Corb. Owen, ex Æde Chriſti.* p. 99.
Piſcatio, ad Gilb. Archiepiſc. Cant. *Sim. Ford, D. D.* p. 129.
Carmen de Circuitu Sanguinis à Gulielmo Harvæo Anglo primum invento, *Rob. Grovius, A. M. Cantabrig.* p. 144.
Curſus Novi Fori, *Honoratiſſ. Leopoldus Gulielmus Finch, ex Æde Chriſti.* p. 165.
In Adventum Regis Oxon. 1681, *Honoratiſſ. Geo. Compton, ex Æde Chriſti.* p. 172.
Maurus Advena, *Honoratiſſ. H. Mordant, ex Æde Chriſti.* p. 177.
In Obitum Illuſtriſſimi Principis Henrici Regis Jacobi I. Filii Natu Maximi, *Hen. Wickham, Coll. Reg. Cantabrig.* p. 182.
In Obitum Auguſtiſſimi & Deſideratiſſimi Regis Caroli II. *Johan. Whitfeld, Coll. Mert. Socius.* p. 189.
Gulielmus Tertius, *Joh. Whitfeld, A. M. Coll. Mert. Socius.* p. 194.
Carmen Paſtorale in Obitum Auguſtiſſimi Regis Caroli II. *Joh. Norris, A. M. Omn. Anim. Oxon. Soc.* p. 206.
In immane illud Caroli primi Regis Paricidium, Σχετλιαστικὸν cum ejuſdem Indigitatione, *Jacobus Windett, M. D. Colleg. Med. Lond. Socius, & Coll. Reginalis. Cantabrig.* p. 211.
Auctio Daviſiana, *Arth. Keye, Armig. Waller Bacon, Armig. Edv. Stradling, Armig. Geo. Dixon, Armig. Chriſtoph. Codrington, Armig. Gul. Woodward, Armig. ex Æde Chriſti.* p. 221.
De Pæto, ſive Tabaco, *Raph. Thorius, M. D. Londinenſ.*

dinenſ. p. 245.
Clariſſ. D. Paulo Herman M. D. Prof. Botanices Lugduni Batavorum, Hortique Præfecto; ex India reverſo, *Ed. Hannes, A. M. ex Æde Chr. Oxon. & Acad. P. P. Chymiæ.* p. 292.

ERRATA.

Pag. 44. *lin.* 14. *leg.* circumvolitat. *p.* 47. *l.* 7. *leg.* Muſca. *p.* 62. *l.* 20. *leg.* Omnia. *p.* 70. *l.* 1. *leg.* Edvardique & cætera. *p.* 95. *l.* 17. *leg.* Speculo. *p.* 136. *l.* 23. *leg.* adverſo nunc flumine. *p.* 224. *l.* 17. *leg.* Salus. *p.* 246. *l.* 7. *leg.* volat.

MUSÆ

MUSÆ ANGLICANÆ.

Heroes Britannici.

QUem laude dignum, Calliope, Virum
Ornare geſtis? quem tibi barbito
Heroa ſumes, quem canoris
Diva Deum reſonare chordis?
Veſter, Britannorum impavidum genus,
En veſter ibo per juga Cynthio
Dilecta, Cirrhæoſque colles
Aoniæ novus hoſpes undæ.
Se pandit ingens area---Seu libens
Equoſque curruſque Arviragi ſequar,
Neronianos ſeu furores
Ulta, vocet Boadica Muſam.
Io Triumphe! plauſibus æthera
Accende gaudens Albion, & Tuo

Gratare Conſtantino, utrique
Grande decus, columenque mundo
Enixa Prolem: Vindice quo, fides
Mœſtum tenebris exeruit caput,
Et regiæ intertexta lauro
Crux domitum viguit per Orbem.
Nec te ſilebo, Caſtalidum parens
Alfrede, turbæ Nomen amabile
Semper togatæ, dum vigebit
Saxonicis [1] *Rhedycina* muris.
Extrema *Dani* funera conſpicor,
Taboque Pulvinaria *Cimbrico*
Manantia, & cæſum maritæ
Colla ſuper trepidare ſponſum.
Victoriæ ingens fœmineæ decus!
O parta multo ſanguine gloria!
O grata libertas, & externi
Albion impatiens tyranni!
Arthurus ut me præcipitem rapit!
Circum ſedentûm non ſuperabili
Stipatus Heroum coronâ, &
Armigero metuendus *Orbe*!

1 *Oxonium.* Rhid-ychen *enim Antiquis Britannis idem fonat ac apud nos hodie* Ox-ford.

Quali

Quali frementem turbine *Cappadox*
Urget *Draconem*! Quantus in arduam
Assurgit hastam! Quo supini
Ense ferit spatia ampla dorsi!
Agnosco Sponsæ virgineos metus,
Et mista fusis gaudia lacrymis;
Suspirat, & sospes perempti
Ora pavet, rabiemque monstri.
Hic clarus armis: Sed Pietas tibi
Edvarde, laudi est, & medicæ manus;
Seræque derivata proli
Vis tumidis inimica strumis.
Me major Ordo; majus opus vocat.
Fallorne? squallentem an video Thetin
Ardere flammis, & receptum
Angliacis *Gulielmum* arenis
Igni phaselos tradere inutiles?
Nunc & revulsas montibus obvias
Errare sylvas, Cantiumque
Armorico dare jura Regi?
Adjecta regnis sceptra *Britannicis*,
Fortesque magni *Strongbovii* manus,
Victamque *Iernam* Fama gaudet
Perpetuis memorare fastis.

Tantis Juventus orta parentibus
Cruore tinxit Lilia Gallico:
En rapta vexilla, & jacentes
Creſſiaci ſuper arva campi
Francorum acervos! O utinam ſuis
Sic ſemper oris arceat horridum
Anglus Gradivum, nec cruenti
In Britonas ruerent Britanni!
Quis dicat, æquo quis lituo *Roſas*
Deprælientes, regnaque mutuo
Colliſa ferro, & diſſidentes
Lancatriæ, *Eboracique* motus.
Henrice, ſalve: Tu medius truces
Utrinque nectis connubio domos,
Dulceſque Mavorti catenas
Injicis, Idaliumque ceſtum.
O digna tali progenies toro,
Quæ frangat acres *Pontifici* minas,
Papamque cervici fatigatæ
Excutiat male contumacem!
Huic grata totos, ô mea Pieri,
Intende nervos; Tuque [2] *Domus* meæ
Nutrix juventæ, ter potentem
Ter fidibus celebra Patronum.

2 *Ædes Chriſti, quæ Fundatorem habuit* Hen. VIII.

Hîc

Hîc siste cursum, Musa--- Sed abripit
Elisa victrix; *Flandria* seu vocet,
Seu classis *Hispanæ* tyrannus,
Exitii pretiosus emptor.
Cernas *Hoardum* transtra per & foros
Latè ruinam spargere fervidum,
Dracumque Ralæumque, & acrem
Frobiserum, intrepidumque lethi
Greenvillum, Iberis navibus impigros
Miscere fulmen, Nunc mare naufragas
Hausisse puppes, nunc adustas
Ambiguo periisse fato!
Insanientûm murmura civium
Martemque feralem, & populi minas,
Et decoloratas cruore
Angliaco galeas, & arma
Nondum expiatis ebria cladibus
Mando tenebris. O *Carole*! ô gravis
Fortuna regnantum! Britannæ
O decus Opprobriumque gentis!
Quas sæva Patri discidit Atropos
Addat reverso *Carolidæ* dies,
Annisque Tithoni rependat
Dura fugæ mala, dura belli.

Quo te, *Albemarli*, pectine concinam!
Tu ſpem reducis mentibus anxiis;
Natumque, in hoc Victor, redonas
Diis patriis, Britonumque cœlo.
Ille, ille fidens *Saxonidum* genus,
Fœtamque crebris ſeditionibus
Thulen, & Hibernos feroces
Imperio regit unus æquo.
Hunc Nauta ſupplex, Hunc maris arbitrum
Summiſſâ adorat carbaſus: Hunc colit
Quicunque Germanum laceſſit
Heſperiâ pelagus carinâ.
Hinc inde parent æquora *Carolo*;
Quo Te minorem dum geris, imperas
Jacobe, ſortitus tridentis
Æquorei ſocios honores.
Sic Pulchra Ledæ progenies ſalum
Juncto protervum Numine temperat;
Sic nubium expers Africique
Sidereos colit Unda fratres.

Fr. Herbert Arm. ex Æd. Chr.

BELLO-

*BELLOSITUM:

SIVE

De Regione OXONIUM *Circumjacente.*

PHœbe, ſequor quocunque vocas, jam plena furori
Vela dari mens geſtit, & imo pectore totum
Ferre Deum, Delphoſque tuos. Mihi numen amicum
Jam licet & faciles ſperare in vota Camænas
Annua facturo dilectæ juſta Parenti
Oxonio, ſedes Muſis ubi fata quietas,
Immotaſque coli per ſæcula longa dedere.
Vos quoque fælices animæ, ſimulachra piorum
Functa Poetarum, Elyſiâ qui valle recepti
Antiquos meliori iteratis carmine cantus;
Siqua ſubit veterum compoſtis cura laborum,
Nec pereunt ingrata vacantibus otia, dignos
Inſpirate animos, genioque accendite veſtro.
Qualem Pieriâ ſpirant meditata ſub umbrâ
Carmina, vel qualis ſæpe eſt conſidere viſus
In lucis, *Redycina*, tuis, cum læta canentes
Cingit, amans vatum, Laurus; Phœbique ſacerdos
Excutit inſolitos divinâ mente furores.

* Oxonium ab *amæno ſitu antiquis authoribus ſic dict.*

Egeria optaſſet ſimiles ſibi Diva receſſus,
Cum Romana pio dictaret ſacra marito,
Æternamque novis fundaret legibus urbem.
Nec te, perpetuæ cuſtos malefida faviłłæ,
Ilia, quam Tybris madidis amplectitur ulnis,
Quamvis Tybrin amas, & toto gurgite merſa,
Cæruleos, læſi memor ignis, proluis artus,
Aſcriptam nymphis tulit *Iſide* gratior amnis,
Iſide, quæ curvos Mæandri imitata meatus,
Laſcivis ludit gyris, curſuque perenni
Volvitur, & notis uda imprimit oſcula ripis.
Nullæ in fronte minæ, nec formidabile lumen:
Par vitro color eſt, nec enim tam læve relucet
In thalamis ſpeculum, quo formæ conſcia virgo
Componit vultum; quoties ſpectabilis arte,
Regali ſpecie miſeros accendit amantes.
Aſt ubi collectos gravidis ex nubibus imbres
Concipit, & pleno præceps exuberat alveo,
In prata expatiatur ovans, lætæque relictâ
Surgunt, & pingui rorant uligine glebæ.
Sic cum laxatis excurrit Nilus habenis
Impatiens riparum, & ſiccis incubat arvis,
Mox induta novo tellus Ægyptia cultu
Ridet, & authorem teſtatur fertilis annus.

Nec,

Nec, *Cherwelle*, tuos mea Muſa tacebit amores,
Quem divortia longa, & inextricabilis error
Per varias rapit ambages, & in *Iſide* perdit.
Hîc aliquis vates vacuâ reſupinus in umbrâ
(Quam denſæ præbent ſalices, & cana ſalicta)
Fluminis Alphei veteres ex ordine flammas
Narrat, & indefeſſa tuos, Arethuſa, labores;
Dum curſum acrius urget, & incandeſcit eundo,
Donec miſcet aquas, junctiſque amplexibus hæret.

Jamque ubi committunt fluctus *Cherwellus* & *Iſis*,
Utroque irrigua, & lætis cincta undique ripis,
Belloſiti ſe longe oſtentant mœnia, pulchro
Conſpicienda ſitu: non illic nubilus aër
Spirat, & infecto ſpargit contagia cœlo;
Sed puri lucent ſoles, radiiſque vapores
Eliciunt nocuos, peſtiſque alimenta futuræ.
Non hîc morborum facies diverſa, medentes
Incertos ludit perdendi mille figuris;
Nec properata venit, ſolâ ſe victa, ſenectus.

Tali ſe vultu Saturnia regna tulere,
Cum Zephyri circum plauſere tepentibus alis,
Et lætos ver perpetuum exhalavit odores.

Has olim ſortes æquâ Deus annuit urnâ,
Augurioque ratas certo firmavit Apollo,

Qui

Qui ſibi ſacratas cum ſupra conſtitit arces,
(Seu tum prima loco poſuit fundamina victor
Mempricius, pulſaſve *Aluredi* nota Camænas
Reſtituit virtus, ſenium cum triſte ſubirent,
Poſtquam præcipiti *Danorum* invecta procellâ,
Horrida barbaries & Cimmeria incubuit nox;)
Dixerat hæc, aut hæc potuit dixiſſe videri.
O longe, *Redycina*, mihi natalibus arvis
Et Delphis prælata meis, ſi rite jubenti
Vera dedit reſponſa adytis cortina recluſis,
Hîc mihi conceſſum eſt fatis melioribus ævum
Tranſigere, & viridi longum florere juventâ.
Nec mentita Deum referam ludibria, myſtis
Sed ponar tutela novis, gentique togatæ,
Viva ubi dediſcent latebras oracula cæcas.
Hæc fortuna loci, pelletur finibus urbis
Dira lues, atro vultum ſuffuſa veneno;
Et raris comitata ibit Libitina triumphis.
Excludet morbos ſe vindice tuta, nec ipſa eſt
In titulos ventura meos medicina, ſed herbæ
Proſtratæ ſummâ paſſim tellure recumbent:
Verum herbas fœcunda feret, quas India novit,
Vel quas meſſor Arabs, cum falce laborat ahenâ
Vernus ager, cæſoque rigeſcunt palmite trunci.

Quin,

Quin, mihi ſi non vana fides, venientibus annis
Tempus erit (quanquam hæc animus meminiſſe recuſat)
Cum triſtes experta vices [1] antiqua Britanni
Imperii ſedes, duriſque exercita fatis,
Ore bibet ſicco vitiatos ætheris hauſtus,
Infenſum ſenſura Jovem; cum deſuper arma
Corripiet deſueta, graveſque recolliget iras.
Tunc gratus ſolis Deſignatoribus annus,
Pignora proſternet charo divulſa parentum
Amplexu, matreſque inter lamenta peribunt.
Carolus interea divorum à ſanguine longâ
Demiſſus ſerie, ſiquidem fortuna locorum
Non ſua ſe premit, ambiguis erroribus actus
Hîc, ubi ſecuris fecit Deus otia Muſis,
Feſſum inclinabit latus, hoſpitiumque recepti
Agnoſcet *Nati*, fuerat quod *Patris* aſylum.

Sic cum ſubmerſas texerunt æquora terras;
Et ſine lege vagas pelago Neptunus habenas
Commiſit, tutus Parnaſſi conſtitit arce
Deucalion, & quâ clades reparabilis arte
Neſcius, invenit faciles in vota ſorores.

Talia præſago quondam Deus edidit ore;
Dicta fides ſequitur, circum undique largior æther

[1] *Intellig. Peſtis Londinenſis.*

Latos

Latos perfundit campos, & amœna vireta,
Quantum acies extenſa poteſt luſtrare videndo,
Metirique vias; ubi centum in valle reductâ
Obſcuri latitant vici, vultumque modeſtum
Fronde tegunt nemorum, & ſylvis conduntur opacis.

Non aliter niveo complectitur æthera gyro
Circulus, & cœlum ſplendeſcit lacte ſereno;
Mille micant hinc inde immenſo ſydera tractu,
Quæ tamen effugiunt oculos impervia noſtros.

Has umbras captare ſolet, cum turba togata,
Non ſemper tetricæ ſtudiis operata Minervæ,
Luſibus indulget; ſeu prono flumine ferri,
Seu magis adverſis juvat obluctarier undis.
Godſtovium ante omnes [2] monumento inſigne vetuſto,
Quod pauca antiquæ ſervat veſtigia famæ,
Limoſis obſeſſum ulvis, cannâque paluſtri.
Sæpius hîc priſci riſum movere Poetæ,
Qui, [3] *Roſamunda*, tuos donarunt carmine manes,
Carmine vix Hecubâ digno, triviiſque timendo.
Sæpe aliquis, cum ſtat coram lacrymabilis urna,
Multa diu ſecum evolvit, cauſaſque requirit,
Mota quibus thalamo ſuper *Eleonora*, veneno

2 *Superſunt hic Antiqui Monaſterii reliquiæ.* 3 *Roſamunda* Pulchra dict. *apud Godſtovium ſepulta eſt, ubi etiam carmen extat famoſum in Puellæ mortem rythmis concinnatum.*

Suſtulerit

Suſtulerit ſato meritam meliore perire;
Contemptos nimis ulta toros, tædaſque jugales.
Haud procul excelſo tollit ſe vertice moles
Regia, ſed ſolis jam conſpicienda ruinis,
Quas belli furor, & rabies fanatica fecit.
[4] Arx olim *Henrici*, vetito qui ſaucius igne,
Rivalemque timens vel in ipſa conjuge, flexus
Commiſit varios, ſinuoſoſque orbibus orbes
Impediit, ſuus uſque adeo juvat error amantes.
Nec Veneris tantum luſus ſpectare licebit,
Dædaleæ artis opus; ſunt & ſua ſacra Dianæ,
Suſpenditque humeris inflexum Delius arcum,
Hîc ubi in immenſum ſpatioſo limite *ſaltus*
Porrigitur, trepidoſque agitata cubilia cervos
Excutiunt latebris, ruit irritata canum vis
Spe prædæ, patuloque legit veſtigia roſtro.
Protinus ingenti ſonitu nemus omne remugit,
Et ſimiles vicina modos reſonabilis Echo
Nympha loci reddit, quæ jam convalle ſub imâ
(Quam ſecat obliquo decurrens tramite rivus)
Conſidet extremæ captans veſtigia vocis:
Credideris Narciſſum iſtis immergier undis.

4 *Juxta Oppidum hoc* (*vulgo* Woodſtock) *Henricus Roſamondæ Labyrinthum extruxit.*

Hîc

Hîc etiam ô nullis obliviſcenda poetis
Chauceri domus, antiquæ domus hoſpita Muſæ
Uſque ſtat, immunis fati, viridiſque juventâ:
Sponte ſua erumpunt laurus, hederæque frequentes
Intexunt vernâ tecti faſtigia ſcenâ.

Sic poſt Thebanas ſupereſt illæſa ruinas
Una domus, fruiturque perenni Pindarus ævo.

Quin age, Nam facilem ſpondet tibi, Muſa, loquelam
Chauceri nomen; ſimilem tibi ſpiritus æſtum
Inſpirat, ſacroſque in vate reſuſcitat ignes.
Priſca refer, quotquot juxta hic monumenta ſuperſunt;
Geſtaque, ſupremaſque ducum teſtata favillas.

Quale apicem attollit *Rollonis* ſaxea moles,
Danûm opus aggeſtum; ſeu parti inſigne trophæi,
Seu, quod fama refert, medio in certamine primi
Diriguere duces, coopertis marmore membris,
Facta ſibi monumenta omnes manſura per annos.
Hîc, ne longa dies, & cæca oblivio rerum
Carperet heroum titulos, actoſque labores,
Annales fert terra ſuos, memoreſque recondit
Faſtos, immenſæ contracta volumina famæ.

Hîc regum oſtentant effoſſa numiſmata vultus,
Defunctoſque duces: vivo *Praſutagus* in auro
Fulget adhuc, juxtaque ſua requieſcit in urnâ

Con-

Contemptrix olim Latii *Boadica* Neronis:
Quam prope replentur lachrymis pellucida vitra,
(Quæ mæsti extremum tulerant ad funus amici
Indicium luctûs,) concretæ frigore guttæ
Luce micant purâ, & gemmarum fulgura vincunt.
Nempe sibi pretium faciunt tam grande dolores.

Quid memorem qualis vicino *Alectus* in agro
(Cujus adhuc gaudet cognato nomine castrum)
Staret, & adversis melior *Constantius* armis,
Cum visa est hærere diu fors anxia belli,
Cui daret imperium Romæ mundique regendum?
Talis erat rerum facies, cum fœdere rupto,
Alpinis demissa jugis tulit agmina Cæsar,
Eoasque gener late Pompeius alas
Explicuit, suspensa quibus mox cederet armis
Roma stetit, tanti pretiumque & causa cruoris.

Teque, *Edoarde*, canam; magni nam conscia partûs
Vagitus *Isiipa* tuos audivit, alumnum
Quæ nunc regalem jactat, cuniscque superbit.
Dive potens salve, tua quem colit omnibus ævis
Anglia, sentit enim vires, fruiturque benigno
Numine, & agnoscit medicæ miracula dextræ.
Crescentes quæ vel tactu lenire tumores,
Et solitas alto capite excedentia moles

Tubera,

Tubera, compreſſit tamen, & ſubſidere juſſit.
Hac virtute inſtructa manus quæ ſceptra Britannûm
Temperat, & morbos regit, imperioque coercet.
Hoc olim Phrygio proles Semeleia regi
Præſtitit, ut ſimili florerent tacta metallo;
At *Carolum* ſuperi meliori munere donant,
Et divinâ manus, quod tangit, conſecrat aurum:
Inque ſuis opibus, quas fundo percoquit imo,
Sole magis medicum, totus ſe oſtentat Apollo.
Jamque tuum, quo Muſa rapit, ſequor, *Offa*, *Witehanum*
Qui poteras olim *Cambros* inhibere feroces,
Quos intercluſit multo ſtructa aggere foſſa;
Et pudor abſciſſæ, perrupto limite, dextræ.
Quis te laudabit digno *Beumontia* cantu
Normannûm ſedes, & avita palatia Regum?
Regale eſt quicquid video. Berecynthia mater
Incedit talis Phrygias turrita per urbes,
Divarum comitata choro, media ipſa ſuperbo
Ingreditur paſſu, & toto Dea vertice ſupra eſt.
Tale tuum feſtâ circumſtipata coronâ
Attollis, *Redycina*, caput; quodcunque repoſtum
Interiore nitet cultu, melioribus aris
Hoc ſupereſt, animis & ſola mente colendum.

Car. Finch ex Æd. Chriſt.

MENSA

MENSA LUBRICA;

Anglicè,

SHOVEL-BOARD.

ROboreus longo ſe porrigit æquore *Campus*,
Adſimilis *Menſæ*, Crebro Tibicine fultus,
Deviet à juſtæ ne quà Libramine normæ:
Hunc (ubi ſepoſitis placuerunt otia curis,
Et coïere, ſuæ quibus eſt fiducia dextræ)
Pervolitant ſpecie nummorum, *argentea* Turba,
Orbiculi, & vario celebrant certamina curſu.
Romani credas ſpatium te cernere *Circi*;
Aut ſtadium *Elei*, luſtro redeunte, *Tonantis*.
Utque *Coloratas* mirata eſt *Roma Quadrigas*,
Et *Praſino*, *Venetoque* ſuo ſua factio plauſit;
Sic & nos pictæ ſtudia in contraria ſcindunt
Laminulæ, & teretis facies non una *Metalli*.
Hinc favor, & *Partes*; ſtrepitu cava perſonat *Aula*:
Ira procul maleſuada, & Rauco gutture Rixa.
At *Tu*, qui prima ordiris certamina, *Miſon*,
Compreſſum extremis digitis, & pollice ſummo,

Deinde ita libratum, tantundem ut distet ubique
A facie *Tabulæ*, vi prorsum impellito *Discum*,
Vi modicâ; namque hîc non bruto robore, quantum
Consiliis opus est. *Leges* ante omnia disce,
Et servare *Modum*. Nam si violentior ibit,
Emenso *stadio* præceps ruet, *Alveus* illum
Excipit extremæ commissus margine *Mensæ*,
Sandapilæ similis, duroque immitior *Orco*,
Unde datur reditus nulli, sors omnibus una;
Seu Plumbi ignavi Massa est, seu divitis *Auri*.

Sed neque, si pœnam meruit temeraria Virtus,
Segnities placeat; dextram comitatur inertem
Et pudor, & risus, cassique infamia jactûs.

Est quæ transversam distinguit *Linea* mensam;
Hanc superare tibi sit cura; nec ardua res est:
Namque avido distat de quo modo diximus alveo,
Quantum bis *Cubitus*, *pes* ter repetitus, adæquat.

Nec septum hoc superâsse sat est, contemnitur hostis
Qui timet, & tutâ pavidus subsistit arenâ:
Pergendum porro; ille meis fervente *Duello*
Militet auspiciis, vere ille *Argenteus orbis*,
Et dignus splendore suo, qui *Carcere* pernix
Evolat, & (cursum accendens tenui stridore)
Lineolam post se linquit, neque Limine *Campi*

Con-

Contentus, ſummâ gaudet conſiſtere *Metâ*.
Illum hoſtes oculo obliquo videre, graduque
Dejicere, & merito certant ſpoliare *Triumpho*:
Sed ſocii fido circumſtant agmine, Terga
Claudentes, & utrumque latus, vitamque ſodali
Morte ſuâ redimunt: toto dum tinnula *Campo*
Bella ſonant, *Virtus*, *Dolus*, *Ars*, *Sors*, omnia miſcent.
Præcipue quando emiſſus Moderamine certo
Orbiculus, ſpatio ſummo ſeſe inſinuavit,
Diſtat ab extremâ bino quod *Pollice*, *Menſâ*;
Huic geminum decus, hic *Miles duplicarius* eſto.
At ſi quis multum Virtuti fiſus, & arti,
Fatalem *Alveolum* haud metuit, *Tabulæque* ſuprema
Hæſit, & eminulus ſubjectum deſpicit *Orcum*,
Intrepido vultu veſtigia pendula librans;
Huic ſummum eſt pretium, Triplici hic præfulget honore.
Qui ſi oppugnatus, nuſquam ſtatione receſſit,
Servavitque locum, neque deflevere cadentem
Mœrentes ſocii, plauſu ſuper æthera tollunt.
Stat juxta, & niveis *Victoria* concrepat alis.

Tho. Maſters, A. M. Nov. Coll. Oxon. Soc.

In Libellum Viri Clariſſimi Tho. Hobbii, De Naturâ Hominis. 1650.

QUæ magna Cœli mœnia, & tractus Maris,
Terræque fines, ſiquid aut ultra eſt, capit;
Mens ipſa tandem capitur: Omnia hactenus
Quæ noſſe potuit, nota jam primùm eſt ſibi.
Accede, Lector, diſce quis demum ſies;
Et Inquilinam jecoris agnoſcas tui,
Quâ propius hæret nil tibi, & nil tam procul.
Non hîc Scholarum frivola, aut caſſi logi,
Quales per annos forte plus ſeptem legit,
Ut folle pleno prodeat, rixæ Artifex;
Vanaſque merces futili linguâ crepet:
Sed ſancta rerum pondera, & ſenſus graves;
Quales parari decuit, ipſa cum fuit
Pingenda Ratio, & vindici ſuo adſtitit.
Panduntur omnes Machinæ gyri tuæ,
Animæque Vectes, Trochleæ, Cunei, Rotæ;
Quâ concitetur arte, quo ſufflamine
Siſtatur illa rurſus, & conſtet ſibi:

Nec,

Nec, si fenestram pectori humano suam
Aptâsset ipse Momus, inspiceret magis.
Hîc cerno levia Affectuum vestigia,
Gracilesque Sensûs lineas; video quibus
Vehantur alis blanduli Cupidines,
Quibusque stimulis urgeant Iræ graves.
Hîc & Dolores, & Voluptates suos
Produnt recessus; ipse nec Timor latet.
Has nôrit artes quisquis in foro velit
Animorum habenas flectere, & populos cupit
Aptis ligatos nexibus jungi sibi.
Hîc Archimedes publicus figat pedem,
Siquando regna machinis politicis
Urgere satagit, & feras gentes ciet,
Imisque motum sedibus mundum quatit:
Facilè domabit cuncta, qui Menti imperat.
Consultor audax, & Promethei potens
Facinoris, Anime! Quis tibi dedit Deus
Hæc intueri sæculis longè abdita,
Oculosque luce tinxit ambrosiâ tuos?
Tu mentis omnis, at Tuæ nulla est capax.
Hâc laude solus fruere: Divinum est opus
Animam Creare; proximum huic, Ostendere.

Rad. Bathurst, A. M. Coll. Trin. Oxon. Soc.

Gratulatio Pacis cum Fœderato Belgio *ſtabilitæ*, Cromwello Protectore. 1654.

SIc, dum in Charybdim flumine adverſo ruit
Hinc inde Pontus, inter & rupto fremens
Uterque gurges impetu ſorbet rates,
Ipſumque crebro verberat fluctu Jovem;
Mox, per Sicanum lene labentes fretum,
Coeunt amici, & unus Oceanum petunt;
Nec quis ſecundus dixeris, nec quis prior.
Gaudete cives; veſtra ſic agitur quies
Potior Triumphis; mille poſt pericula,
Et mille mortes, diſcite ô quot ſint mala
Quæ ſola compenſare Libertas poteſt.
Heu! Quanta lucri, quanta gloriolæ eſt ſitis,
Sufficere cui nec maria, nec ſanguis queant!
Utrinque gentes æmulæ in cladem ruunt;
Venti laborant onere; Neptunus gemit,
Et ſe fatetur ponderi tanto imparem:
Xiphiaſque, Phyſeterque, jam moles ſuis
Immaniores dum vident, vinci timent.
Tum fulmen exit machinis crebrùm intonans;

Ma-

Majuſque fulmen, ardor atque iræ virûm,
Oculis micabat; territat pontum fragor,
Et dormientem littori Phocam excutit;
Mitiſque delphin, tale dum ſpectat nefas,
Pertæſus hominum, nota deſeruit vada.
Grandævus horret Nereus, Nymphæ pavent,
Et viridis algâ Phorcus occuluit caput.
Nudata queritur regna Tartareæ ferox
Dominator aulæ, & pervium ſuperis vident
Manes Barathrum, ſeque jam lucis pudet.
Semiuſta fluitant corpora, & laceræ trabes,
Et cuncta miſcent fumus, & flamma & fragor;
Unuſque rerum eſt vultus, & Nullus——
Viden? Per altum multus Halcyon volat:
Subito ſileſcunt æquora, & ponunt minas.
Tu, Magne, ſolus hæc potes: Mavors tibi
Submittit ipſe frameam, & Æquoreus deus
Suum Tridentem; ac geſtiunt tanto Arbitro.
Salve ruentis Imperî ſtator; tuum eſt,
Quod nec rapaces metuit imbellis Toga;
Pietaſque caſtris exulans aliis procul,
Veſtra inter arma dulce * præſidium invenit.

---

* *Jam enim Monarchiæ, Academiæ, Ipſique ordini Eccleſiaſtico ruinam intentabant Fanatici; quibus pro tempore obſtitit* Cromwellus.

Sic

Sic macte ſemper; inter & Lauros tuas
Mitior Oliva creſcat; ut Nobis bonus,
Aliiſque magnus audias: dum, Te Auſpice,
Fretum Britannum majus Oceano cluet.

R. B. A. M.

In Sereniſſimum Regem Carolum II. Britanniæ *ſuæ reſtitutum.* 1660.

QUis novus hic Cæſar, ſiccâ qui Pace Britannos
Subjugat, &, *Bruto* ſaltem *hoc* plaudente, triumphat?
Quem non Ira minax, ultorve in Prælia Mavors
Aſperat, armorumve ferus circumſonat horror;
Sed tranquilla Quies, niveiſque Jugalibus ambit
Dia Salus, plenoque arridet Copia cornu.
Agnoſco *Carolum*: en, quantus de fronte ſerenâ
Fulget honor! quæ ſtat juvenili gratia vultu!
Alme veni tandem, tardoſque in vota precantûm
Abſolvas ſuperos, dilapſaque lora potenti
Sume manu; tibi eum Lymphata atque Enthea turba,

(Omnia

(Omnia quæ vertit ſeſe in miracula Regni,
Hydramque, Tigrimque trucem, informemque Chimæram)
Jam cedit, caſſoque jacet defecta furore.
Grate veni, &, quamvis toto tibi ſerviat antro
Æolus, & Dominum Nereus petat omnibus undis,
Sit potior quæ te Populi vehit aura, nec ullo
Pleniùs, aut meliùs tumeant tua Carbaſa vento.
Aſpice, ut occludat venienti urbeſque viaſque
Importunus amor, dum plebs, quæ fecerat Hoſtis,
Officioſa facit, nimioque Rebellis Honore eſt.
Jam neque genua labant ſenibus, nec tarda prodagra
Diſtinuit captos; pueri, imbelleſque puellæ
Accurrunt, mediiſque audent ſe immittere turmis:
Dumque triumphales rutilant per compita flammæ,
Accenduntque domos, circum præcordia gliſcit
Major flamma viris, menteſque impenſiùs ardent.
Felices! queis te, poſtquam ſuperata Deorum eſt
Invidia, & ſævi longa inclementia fati,
Divulſum dulci à patriâ, aſpectuque tuorum,
Contigit excipere, atque oculos laſſare tuendo.
Scilicet huic fueras olim ſervatus honori,
Depoſitum fatorum, ut dextræ robur adultæ

Suſti-

Suſtineat triplicis nutantia pondera Sceptri.
O Cœlo dilecte nimis, quem feſſa repoſcunt
Imperia, ô magnis nequicquam erepte periclis,
Si non afflictis tanto in diſcrimine rerum
Creveris, & patriæ te ſuſpirantis in uſus.
Hoc erat, hoc unum tantis natalibus addi
Quod licet, & Divo genitori fata negarunt;
Ut cùm te extorrem Deus & fortuna noverca
Jufſerit ignotaſque vias, atque aſpera rerum
Tentare, & mores hominum monſtrârit & urbes,
Pulchrior exurgas tandem, emerituſque laborum
Nunc vigeas magis, & ſplendor tibi creſcat ab uſu:
Surculus ut ſterili qui dudum immarcuit agro,
Dum rigor immitis Boreæ, morſuſque ferarum
Infeſtant, & adhuc geniales improba ſuccos
Terra negat, roremque invidit Jupiter almum;
Jam locuplete ſolo ſuſceptus, & ubere glebæ,
Lætior emergit, fructuſque umbramque ſalubrem
Impendit populis, & vertice ſydera tangit.
Sic adſis (Rex magne) tuis, multumque peritus
Edoceas artes quas *Rhenus* dives & *Albis*
Scire dedit; quicquid verſuto in pectore volvit
Gallus, & *Auſtriacus* geminâ deliberat aulâ:
Sic adſis, cui nec fractos emolliit artus

De-

Desidia, aut animum pellacis peste veneni
Corrupit tenero falsa & fucata Voluptas:
Sed firmat sors dura virum, studiisque severis
Finxit, & accendit generoso pectus honore.
Per lusus alii, phaleratæque gaudia tendant
Ad Sceptra, &, se non capientes, regna capessant;
Huc tua te Virtus vocat, & Diademate cingit,
Datque tenere Manu, quem Mente intelligis, *Orbem.*

Rad. Bathurst, M. D.
Coll. Trin. Soc.

In Obitum Celsissimi Principis Henrici *Ducis* Glocestrensis. 1660.

HActenus, o socii, plausus & gaudia * toto
Ferre sinu licuit, passisque admittere velis;
Hactenus haud ullâ maculatum nube serenum
Vidimus, atque hilares cœlo decurrere soles:
Utque salutiferam toties qui sumpserat offam
Nulla venena illi, neque pocula dira nocebant;
Nos ita nec luctus, nec sors mœstissima tangit.

---

* Vç. *Ob Nuperum Regis* Car. 2. *Reditum.*

Atta-

Attamen hæc inter, quanquam furialis Erinnys
Ceſſerit, ac noſtro Mavors procul exulat orbe,
Et repetit Gothos, & Biſtonas horridus armis;
Quanquam jam longum ignotas inviſerit oras
Libertas, & Virgo redit, Carolinaque regna;
Dum nec adhuc lachrymas natorum in funere mater
Ferre ſcit, & nemo triſtis, niſi proditor, audit;
Huic uni ſaltem juvat indulgere dolori.

Quidni etenim? cum jam ſpes terræ, curaque Cœli
Ipſe ſuis cœpit Carolus diffidere Divis:
Quem quia fata jubent Regnum pro Fratre paciſci,
Et ſimul ad ſua ſceptra vocant, Dextramque recidunt,
Ditior Exilio fuerat, cum fidus Achates
Aſcaniuſque idem coram ſtetit; ille per omnes
Ire comes quondam terrâque marique labores;
Illius haud unum dederat præſentia regnum:
Quam cum Parca negat Carolo, non amplius ipſum
Centum * Oratores, centum ſolantur amici:
Jam nec ab occiduis prænobilis Hoſpes Iberis
Gratus adeſt mœſto; neque gratior advena Ponti
Leniit infandos formâ omnipotente dolores,
Diva Soror, poſtquam occubuit chariſſimus Heros,
Et tantos unâ temeravit morte triumphos.

* *Legati hinc inde miſſi.*

Sen-

Senſerat Oceanus damnum, fluctuſque ſonoros
Plangebat domino; tremuitque Britannicus orbis,
Quanquam Cæſar adeſt; veluti cum maximus Atlas
Subduxit feſſum Cœlo caput, horruit ingens
Machina, & attonitis pavitabat ſignifer aſtris.
Eheu! quam vario volvit mortalia caſu
Inſtabilis fortuna, & cæco in turbine verſat!
Hiccine qui fatis longum jactatus iniquis,
Ærumnarum undas toties, totieſque fefellit
Latrantes ſcopulos, contritoremque Caphareum
Præterit, ut patriis tandem ſit naufragus arvis,
Et cadat ignavæ jam præda ingloria Febri?
At non talis erat, lætâ cum nuper in Aulâ
Grandior inceſſit, Nymphaſque obliqua tuentes
Urebat vultu; vel, Equo ſublimis & armis,
Ibat ovans per ſigna; Favor comitatur euntem,
Gloriaque Illuſtrem fulgenti circuit *Aurâ*:
Atque aliquis juxta, victori regna futuro
Deſtinat, inque animo diſponit mille triumphos;
Atque aliqua, hæc, inquit, præſtantis gratia formæ
Idaliam poſſet Cœlo deducere Divam.
Ille indignantem, & conantem plurima, frangit
Cornipidem; ſive is greſſus glomerare ſuperbos
Aggreditur, pedibuſve altas conſurgat in auras

Ar-

Arduus, aut ſtratâ gravior ſubſultet arenâ:
Fervet opus, patuliſque efflantur naribus ignes
Nam neque degeneres curas, arteſve pudendas
Excoluit, luxuſve dies, aut Alea noctes
Perdidit ambiguo ſuſpendens vota fritillo:
Sed nunc Jura Patrum, aut magni conſulta Senatûs
Excutit, &, dextro pollens moderamine linguæ,
Juſtitiæ griphos, rerumque ænigmata pandit.
Nunc & Militiæ leges, momentaque belli
Cogitat, & doctis deſignat prælia chartis,
Grande rudimentum, atque hoſti fatale futuro;
Quonam acies formanda modo, cum cornua Ductor
Explicat, aut ſtringit rurſum; quâ callidus arte
Opprimat incautum campis, aut ſaltibus, hoſtem:
Quæ ſtatuat Vallo ſpatia, & quali aggere muros
Oppugnet, quanquam ipſa intus feralis Enyo
Tercentum tonat ære globos, tot fulgurat Ætnis.
Quippe ſuas Illum docuerunt Teutones artes;
Credidit indigenam Hiſpanus: quin ipſa fuiſſet
Gallia faſſa ſuum, niſi quod minùs hoſpita, civem;
Surreptamque ſibi miratur Etruria linguam.
Ille & Naturæ vultus, arcanaque rerum
Semina, & immenſi volvit primordia mundi:
Noverat unde micant Stellæ, quo tramite Titan

Pal-

Palleat, & triſti ſqualent ferrugine Lunæ;
Cur trepidans Magnes dilectam vergit in Arcton;
Quid faciat ventos, fulmenque imbreſque ſonoros
Deſuper intorquet terris; quâ lege movetur,
Et redit æternum ſua per veſtigia Tethys.
Magna quidem canimus, ſi non majora vocarent;
Et Pietatis honor, Verique innata Cupido,
Et Probitas, vitæque tenor ſincerus, & olim
Inconcuſſa Fides Fratri ſervata, Deoque;
Quam, neque ſperatum diadema, arteſve doloſæ,
Ipſa nec inflexit * Pietas. Hæc ſanctus ab alto
Vidit, & exultans Genitor plaudebat Olympo:
Talia namque olim monuit, cùm ſtaret ad aras
Auſturus divos, & jam ſuprema puello
Oſcula libabat totum ſpirantia Cœlum:
Chare Puer, dixit, quanquam Fortuna Parentis
Non imitanda tibi, Pietas tamen uſque ſequenda eſt,
Et Recti cuſtos animus, virtuſque, laborque;
Et quæ ſit potior Sceptris, reverentia Sceptri.
Hæc tu, magne Heros, imis manſura medullis
Imbibis, & ſacro pendes dictantis ab ore;
Talibus auſpiciis jam tum cœleſtis alumnus
Creſcis, & indigetis ſequeris veſtigia Patris;

* ſc. *Obedientia erga Matrem, Ipſum ad Papiſmum ſolicitantem.*

Sed

Sed Carolo monſtrante viam, qui fortibus altum
Perficit exemplis animum : tantuſque videris
Exuperâſſe hominem, & mortalem temnere ſortem.
Tu tamen, ah! moreris; nec Te tua prodiga Virtus
Aut niveus decor, &, prolem teſtata Deorum,
Majeſtas, Orco eripuit; dum ſordida terræ
Progenies pejore luto ſecura perennant
Secula, &, experti nimiæ faſtidia vitæ,
Vix tum deficiunt; ſic uſque vireſcit & uſque
Carduus infelix, & Lappa renaſcitur arvis;
Lilia, ſpiranteſque croci, molleſque Hyacinthi,
Heu! cito diffugiunt, animaſque ſub æthere linquunt,
Ambroſias animas, nec ſpes redit ulla fruendi.
At vos, ô ſuperi, quorum moderamine conſtant
Imperia, & nuper capiti ſuppôſta Britanno eſt
Tergemina, & nullo ſuperabilis Hercule cervix,
Sed vobis minor, & veſtris nimis obvia telis;
Si vel adhuc meritiſque ſuis, cultuque ſuorum,
Henrico ſupereſſe datum eſt; ſi fortia facta, &
Multa viri virtus gemino uſque in Principe durant;
O facite abreptæ pereant ne ſtamina vitæ,
Quin demptos Fratri ſuperaddite Fratribus annos.

Rad. Bathurſt, M D.
Coll. Trin. Soc.

Gratulatio ob auſpicatiſſimum Sereniſſimæ Principis Catharinæ *Luſitanæ Regi* Carolo II. *Deſponſatæ, in Angliam appulſum.* 1663.

ITE graves longùm curæ, vultuſque ſeveri
Nubila, & atrati [1] terno jam funere luctus,
[2] Strigoſique dies; omnis cum Rege caleſcit
Muſa ſuo, & teneros pariter ſpiramus amores.
Fallor? an Heſperio labentem cardine Divam
Cerno procul? fugiunt nimbi, latéque remident
Omnia venturæ; dignataque pignore tanto
Æquora lenè tument: clavo ſedet arbiter Hymen;
Urget amor fluctus, & carbaſa ventilat alis:
Tum verò innumeros plauſus comiteſque, Britanniique
Ingeminant, audit Tagus & Tarteſſia longe
Littora; clamori cœlum, ſcopulique, reſultant.
Jamque venit patriæ decus & jactura Braganzæ,
Spes Britonum; occiduâ toties quam Lampade Titan
Ambiit, Herculeaſque petit nunc [3] tardior undas:
Soſpes adeſt, veteres horrens cui Bruma rigores

1. *ſc.* Eliz. *Bohem. Reg.* Henr. *Ducis Gloceſt.* Mariæ *Pr. Arauſion.* 2. *Quadrageſimales.* 3. *Diebus ſc. imunte vere, auctioribus.*

Depoſuit, Zephyruſque tepentes molliit auras:
Quâ movet illa pedem, pubeſcunt germine campi;
Narciſſuſque crocuſque ſubit, Dominamque ſalutant
Undique Regales florenti culmine quercus:
Denſati circùm populi venerantur euntem;
Illa beat conſpectu Urbes, Agroſque ſerenat.
Fulgentem veluti cum Luna argentea diſcum
Noctibus hybernis lætanti attollit Olympo:
Aut qualis rutilis cœlebs Hyperionis ales
Tendit iter pennis, noſtri novus advena mundi;
Aſſurgunt omnes decori, vulguſque volantum
Per ſudum ſtrepit, & plaudentibus adſonat alis.
Vritur interea Virgo, lævâque mamillâ
Cæcum vulnus alit, veteriſque haud inſcia curæ
Quærit adhuc pretiumquæ viæ, finemque laborum:
Ilicet, auratâ quæ fixit utroſque ſagittâ
Ocyor, occurrit *Carolus*; cui greſſibus æquis
Majeſtas & Amor ſtipant latus; Illa repente
Mirari tam grande decus, ſpeciemque Deorum
Oblatam, & pactos Cœlo ſponſore Hymenæos:
Nunc & Cantabricos fluctus, horrendaque nautis
Monſtra, procelloſaſque hyemes, ventoſque minaces
Abſolvit, tantique juvat meminiſſe periculi;
Digna quidem hæc merces, ob quam deſpexerit unà

Auri-

Auriferumque Tagum, Solisque cubilia Calpen.
Hæret in obtutu sponsus, Nymphamque pererrat
Luminibus Propriis, nunc primum Oculatus amator.
Colligit innumeros vultuque habituque lepores,
Incessumque notat qualis solet esse Dearum;
Quis sit honos Frontis, vegetis ut regnet Ocellis
Alma Pudicitia, & molles calciget Amores:
Jamque suos ignes probat, & bene credita Divis
Connubia, & vinclis stringi se gaudet in istis.
Quantus amor! quales thalami! non purius unquam
Prima Palæstinis sudant opobalsama ramis;
Nec delibatæ Nabathæis messibus auræ
Suaviùs aspirant; sic Nardo nubit Amomum;
Sic bene miscetur generoso Lympha Lyæo.
Desine jam, Cæsar, segnes incessere puppes;
Neu querere, ignavos ægrè quòd Cynthia menses
Volverit, & lento processit signifer axe:
Grande moræ pretium est, quòd, Diis rivalibus, ultrò
Te Catharina petit; cui Jupiter ipse per undas
Mugierit, totoque inclusam perpluat auro:
Quam peteret Raptor, conjuratæque reposcant
Mille rates, spretisque Deis, & compare pulchrâ,
Demereat pomo felicius Arbiter Idæ.
Fortunate nimis! qui tot certamina fati,

Et varias Tellure vices, & tædia Ponti,
Fessus [4] *Ulyssæo* tandem solabere Portu.
Macte toro, & populis bellorum damna refarci;
Quando tuo Venus orta mari, tuque (inclyte) gentis
Prolificæ, omnigenûmque audis regnator aquarum:
Sæpe tui inclamant, *Henricum* (Carole) debes,
Sæpe monent, debes nobis (Auguste) *Mariam*,
Qui visent patrios fato [5] meliore Penates.
Tu bonus & felix tot per discrimina Cives
Servâsti, nunc Ipse crea; quartamque coronam
Sume tibi, cunctas cui destinat Anglia *Quercus*.

Tu vero ante alias superis chariſſima Nymphas,
Quæ dudum in sterili languebas frigida lecto,
Unius ætatis princeps, per secula mille
Nunc ævo sacranda veni: Te *Carolus* ultrà
Eripiet fatis, postquam immortalia figet
Basia, & afflabit gremio contagia Cœli:
Inde genus divûm surget tibi stemmate longo,
Ectypa Majorum soboles; *Carolusque* pusillus,
Parque tui lætâ *Catharina* adolescet in aulâ:
Ille quidem Populos, sed Reges Illa domabit;
Infensasque acies, & sceptra minantia sceptris
Mulcebit vultu; patriis dominabitur undis

4. *Ob sponsam Ulyssiponensem.* 5. *Quia sc. Henricus & Maria post primum in Angliam appulsum mortui sunt.*

Alter;

Alter; velivolaſque arces per cærula ducens,
Eruet Eoo rutilantes littore Gemmas
Impiger, Heſperiique ortus rimabitur Auri:
Naſcetur qui Barbaricos inhibere furores
Poſſit, & Odryſias Solymis depellere Lunas,
Jamaicæque Indos, & Mauros addere *Tingi*.

Ergo age; ſolve, ſinu quos jam premis invida, Reges;
Túne etiam hos damnas tenebris, & carcere cæco,
Crudelis? quin rumpe moras, dum pronuba Juno
Ire jubet, Geniuſque metus objurgat inertes;
Parque Jovi noſtro Semele felicia condas
Sæcula, & (heu!) nimium fugientibus utere donis.
Quid juvat æternùm miſeras diſperdere noctes
Segniter, & vacui faſtidia ferre cubilis?
Aſpice ut obſcurè nemorum per devia reptet
Virginitas ignava Hederæ, necdum illa ſub auras
Emicat, aut humili ſqualens caput exerit umbrâ;
Tandem inopis pertæſa tori, ſi forte vel Arcem
Ætherei Jovis, aut proceræ robora quercûs
Strinxerit amplexu, & ſenſim inſinuarit amores;
Protenus ad ſuperas gaudet ſimul ardua ſedes
Scandere, ſeque unà mirantibus induit altris.

Tu quoque jam diſcas quibus artibus alma perennet
Imperium Natura ſuum; te prodit amori

Ille decor vultûs, & non sinit esse quod optas:
Nec pudeat cessisse; fuit castissima quondam
Penelope, sed Dulichiis se tradidit ulnis,
*Portia*que ingentem pellexit ad oscula *Brutum*;
Ipsa vides quoties vestro [6] sub littore Phœbum
Vespere anhelantem gremio Thetis excipit udo.
Omnia magnus Amor subigit, volucresque, feraeque,
Squamigerumque pecus gelidis accendit in undis:
Non illum effugiant Tigres, aut torva Leonum
Pectora; & indomiti, prostrato robore, Tauri
Hoc subière jugum, postquam illos dulce venenum
Perculit, atque ægras depascit flamma medullas.

Cedo Deo, Nympha, & mites admitte calores;
Quandoquidem vernante anno redit ad sua Turtur
Murmura, & implicitis sponsalia vestra Palumbes
Concelebrant rostris, & jungunt oscula conchæ:
Ipsa parens rerum jam nunc tibi dædala Tellus
Turget, & arcanos fœcunda resuscitat ignes.
Conjuge te, viridante toro, jam rustica Phyllis,
Cum Corydone suo, similes meditatur amores;
Velitibusque choris primæ præludia culpæ
Exercet; Paphio juvenis dum fervidus æstro

6. sc. *Oceano Occidentali finitimo.*

Quassat

Quaſſat humum ſaltans, & tereti tympana cantu,
Mordicus impingens teneris poppyſmata malis.
Ducitur in thalamum hirſuto mactanda marito
Victima, & extremum Zonæ jam deflet honorem;
Atque aliqua è ſociis tacitè petulantibus optat
Sic fieri triſtis; dum mater gnara periclî,
Nequiter irridet, conſolaturque timentem,
Vexatoque cupit filum [7] decreſcere collo.
Ergo jubet noctiſque minas, bellumque, virumque
Deſpicere, & medium fidens exporrigit unguem;
Jamque labantem animo, & trepidantem morte propinquá
Erigit, atque alios audet promittere ſoles
(Mirum!) & ſæpe Deos habuit non vana faventes.
Vos etiam, illuſtres animæ, conſcriptaque Divis
Nomina, queis Venus Uranie, & non altera flamma
Corda ſubit, quàm quæ Indigetum pia tempora circùm
Lambet, inextinctis cùm ſerò migrabitis aſtris;
Quos eadem [8] ſtudia, & cingentes omnia claſſes,
Fœderaque, & gemini jungunt commercia mundi,
Nunc & Amor junxit; ſedes queis præſtat avitas

7. *Vide. Catull. 60. de Thetide.* 8. *ſc. Artes nauticæ & mercatoriæ, quarum Lusitani juxta cum Angl. is ſtudioſi.*

Ipſe Deus, pulſiſque dedit regnare [9] Tyrannis;
Vos eadem Natura vocat, reparandaque ſæcla
Tradidit; & Fati jubet inſtaurare ruinas.

Atque utinam hæc maneat nullis laxanda querelis
Copula; quin ſemper vobis nova gaudia ſurgant,
Semper primus amor: durent hæc feſta per ævum,
Seraque cognato celebrate Repotia Cœlo.

9. *Rebellibus hinc, Hiſpano inde Ejecto.*

Rad. Bathurſt, M. D.
Coll. Trin. Soc.

Tranſactio

Transactio Philosophica: Sive, Metamorphosis Atomistæ in Museum.

IMperii sacros *Regina Scientia* fines
Fixerat, immensosque diu toto orbe triumphos
Inviolata egit, postquam fundamina certa
Invictus regni posuit *Stagyrita* futuri;
Et nullos hostes, ipsis venerabilis annis,
Invenit; donec tandem arma rebellia sumpsit
Ultima progenies, tantâque indigna Parente;
Quam fœdo (ut fama est) tulit Ignorantia partu.
Exulat hinc cum pace pudor, subiitque tyrannis,
Ingeniumque ferox, atque artes mille nocendi.
Vidi ipse immeritas animalia solvere pœnas,
Tortor ut accessit Busiride sævior ipso,
Vivaque mox cultris præcordia nudat acutis.
Vidi ego perspicuis alia expirantia vitris,
Postquam vitales cesserunt follibus auræ,
Cum gemitu insontes animas simul exhalârunt.
Quis Divûm interpres dicat, quo numine læso,
Tam fera Tartareis pestis sese extulit undis:
Fortunæ incertis quæ casibus omnia ponit,

Lu-

Lucenteſque polos, & terras æquore einctas?
Nullus enim rector cœleſti fulminat aulâ,
Conditor ipſe ſui cœli; verum impete cæco
Particulas pulchrum Fortuna coegit in orbem.
Quiſque ſibi Deus eſt, & habet ſub pectore numen.
Quod ſi ſacra parens perituram deſerat orbem
Natura, & mundi moles operoſa laboret,
Ingenioſa nigris ſudabit turba caminis,
Et fornace ſuo omnipotens dabit omnia *Cyclops*.
Senſit ubi *Natura* ſibi nova bella parari,
Ulterius non paſſa malum eſt, ſed limina Divûm
Indignata petit, veſtis quam candida circùm
Velavit, gemmis fulgentibus intertexta:
Exhibuitque procul, miris variata figuris
Aſtrorum motus, lunæ fratriſque labores.
Illa ubi ſydereâ veſtigia fixit in aree
Limen adit ſuperûm, ſacrâque ita voce profatur.
Noſtra Syracuſius fragili miracula vitro,
Cœleſteſque ſenex audax cum pingeret orbes,
Ornaſtis placido, Superi, cœlum omne cachinno:
Mirati his tangi mortalia pectora curis.
Prima quidem melior, Saturno rege beata,
Curarum immunis, quibus hæc nimis æſtuat, ætas:
Nondum ſollicitæ rerum cognoſcere cauſas,

Mollia

Mollia ſecuræ peragebant otia gentes,
Me varias volvente vices & lucis & anni.
Sed nova gens hominum, & malè ſedula nata propago eſt,
Omnia quæ ſtrepitu & ſtudio perturbat inani;
Me ſequitur vigil iſta cohors, & mille fugacem
Impia ſcrutatur latebris, poſitoque pudore,
Longævam jactat ſe denudaſſe parentem.
Aſt ego, dum nudum paſſim me exponere tentat,
Per labyrinthæos fugio pudibunda receſſus;
Inſequitur, juvat igne latere, requirit in igne;
Mox undis miſceri, & ſedula quærit in undis.
Imâ ſæpe etiam volui tellure recondi,
Cogor at effoſſis iterum remeare metallis.
Mox etiam aereo volitans ſuper æthera curru
Detegor, & tenues librantur lancibus auræ.
Sæpe vel arboreo quæſivi in cortice ſedem,
Nullam turba mihi dedit imperioſa quietem.
Prenſanti ſimilem, ſimilem jam jamque tenenti,
Per varias rerum ſpecies, perque omnia duco
Nondum intellecta, & vanâ ſpe ludo ſequentem.
Quin turbam hanc juſtas jamdudum, O Numina, pœnas
Solvere ſtultitiæ fas eſt, mentiſque profanæ:
Non etenim quivis, alti licet incola cœli,
Omnia Naturæ poterit ſecreta referre.

Aſſen-

Assensere Dei, solio cum Jupiter aureo
Alipedem, ut pœnas sumat, jubet ire ministrum.
Aera per medium paribus Cyllenius alis
Labitur, & doctas Sapientûm contigit ædes.
Tum densam nebulam circum se fundit, & intrat
Per medios, studia explorans, neque cernitur ulli.
Interea primus qui voce silentia rupit,
O socii, exclamat, nobis nova gloria surgit,
O quantum *Natura* novæ jam cesserit *Arti*!
Debilis est oculorum acies, & corpora parva
Vix imperfecto pertingit acumine visus;
Conspicienda dabit minima hoc mirabile Vitrum,
Quodque manu tenuit, Vitrum porrexerat ultro.
Forte levi circumvoliat dum musca susurro,
Tramiteque incerto spatiosam circinat aulam,
Hærebat tandem, de summo pendula tecto.
Ecce aliquis subito graciles ex ære catenas,
Retiaque & laqueos, tales quæ fecit in usus,
Applicuit, muscamque tenaci compede vincit.
Inde interposito spectant miracula vitro,
Mirantur molem immensam, atque immania membra,
Igneus ardor inest oculis, stat corpore toto
Sylva minax, (neque enim visus spinosior Hystrix)
Nunc patulos lustrant intento lumine rictus,

Hinc

Hinc vocat attonitos ingens ex ore proboſcis;
Qualem nec Lybicæ jactabit bellua terræ,
Turritas moles & propugnacula geſtans.
Tum vero denſas aufert Cyllenius umbras;
Quaſque hominum turbas ſolers induſtria fecit.
Hic labor, hoc opus eſt! ſic famam quæritis, inquit.
Accipite ingentis juſtiſſima præmia curæ;
Vos eritis quicquid vitro ſpectaſtis in illo.
Inde (fide majus) varios traxere colores,
Et ſolitâ incipiunt ſenſim decreſcere formâ;
In pennas abiere manus, pro crine decoro
Fulgenti totum tegitur lanugine corpus;
Pro pedibus, lentis tenuantur crura flagellis,
Juſtaque jam moles, facies & prona videtur.
Mox celeri incedunt paſſu, ſubitoque ſub auras
Tolluntur, ſummique petunt laquearia tecti.
Antiqui remanent verſâ ſub imagine mores:
Nam vitæ (ut referunt) non immemor ante peractæ
Mentem animumque illis prudens natura negavit.
Hinc vano ſtrepitu, cæcoque errore feruntur,
In præceps agit Eurus atrox, mox turbine raptat
Sublimes agitans, & inania prælia miſcet.
Mille etiam peritura modis circùm agmina ducunt,
Fucus acerba ſonans, & pictis Cantharis alis,

Oeſtrum-

Oeſtrumque, Crabroque, & mole ingens Scarabæus.
Sæpe apibus ſonitu ſtridenti ubi bella minantur,
Cerea pennatis vexant alvearia turmis;
Extemplo glomerantur apes, penniſque coruſcant
Invictæ, turpemque abigunt à mœnibus hoſtem.

Ah quoties teneras morſu læſere capellas,
Et ſole æſtivo laſſus, ſpatioque viarum,
Frontem occurſantes damnavit ſæpe viator?
Sæpe renaſcenti cum vere coagula traxit
Lacteus humor, & alto à margine pinguior extat,
Mille venenatis fundunt ſeſe agmina roſtris,
Impuro & niveum nectar corrumpitur hauſtu.

Non vobis dulces diſtendunt ubera vaccæ,
Forte ſuperveniens exclamat ruſtica conjux;
Inde graves turmas, & poto nectare tardas,
Indignata procul manibus virgâque repellit.

Sed meritas ſolvunt pœnas, cum accendere parvam
Præmonuit nox alma facem, volat inſcia turba
(Sive hic flammantes ſylvas, campoſque nitentes
Credit, ſeu rapit in certam, ſors dura ruinam)
Per ſpatia incertis alis tenebroſa vagatur,
Ad ſeſe attonitam donec trahit aurea lampas.
Ceu quondam volitans ſublimis in aere milvus,
Subjectis luſtrans leporem cum vidit in arvis

Flectitur

Flectitur in gyrum, ſpatiiſque remotus iiſdem
Uſque videt prædam, ductis per nubila ſpiris:
Lampada ſic torto levis ambit turba volatu,
Lucenteſque pyras & non ignobile buſtum
Aſcendit demens, quæſitiſque ignibus ardet.
Sic dum nativum memorat, renovatque furorem,
Ingentes pœnas vitæ dat *Muſica* prioris.

Nicol. L'Eſtrange, Baronett.
ex Æde Chriſti.

THOMÆ

THOMÆ WILLIS, *M. D.*

In Diatribas Medico-Philoſophicas, De Fermentatione & Febribus.

ABſtruſas rerum cauſas, quo ſemine litem,
Quo pacem *Natura* paret, quis corpora motus
Urgeat, indomitos undis quid miſceat ignes,
Qui nexus elementa ligent, fælicior ætas
Conſpexit tandem; cunctiſque ignota priorum
Abdita laxantur vaſti penetralia mundi.
Progenies cœli, terræ defoſſa Metalla
Viſceribus, quamvis Phœbo oſtentata parenti
Indiga lucis erant; radios obſcura premebat
Umbra, & lucenti ſplendor quæſitus in auro eſt.
Lumina præſtrinxit ferrum, ignotumque latebat
E damnis notum nimis; & ſimul agmina fudit,
Ingeniumque unà victor ſuperaverat enſis.
Sic olim curas, vanæque indaginis artes
Eluſit *Natura* parens; ſic limine juſſit
Siſtere, & extremo defigere cortice lumen.
At nobis tentare adyta, atque inviſere rerum
Ultima conceſſit, mundique arcana tueri:

Nec

Nec nota eſt magis ipſa ſibi; quis montibus altis
Regnet *amor*, quæ *flamma* leves in marmora *ſuccos*
Excoquit, unde *novi* tellus connixa *metalli*
Cæca rudimenta, & duri primordia fœtûs
Fœcundo fovet amplexu: cur vere tepenti
Pandit opes terra, & nativo fulgurat oſtro.
Qui zephyri molles prægnanti ſemina *Veſtæ*
Inſpirent: nebularum arcu cœlique relictis
Sedibus, in noſtris *Iris* quæ geſtiat undis.
Cur fluviis immerſa *Ceres*, commixtaque Nymphis
Intumeat: quæ bella movet, quas concitat iras
Fervidus, inque cadis celebraverit Orgia *Bacchus*.
Sicaniæ quis deſertis fornacibus Ætnæ
Vulcanus, molles per corpora ſuſciat ignes.
Quin etiam humanos agitet quis ſpiritus artus.
Unde hinc *purpureus* venas, hinc *lacteus* imber
Irrigat; in *fontes* quæ cauſa recedere juſſit
Sanguinis aſſiduo *remeantia* flumina motu.
Qui cæci in venis *ignes*, quæ viſcere *flamma*
Deliteat, febremque ciet: quid miſceat æſtu
Frigora, *diverſæ* coëant quo fœdere Zonæ.
Quæ Peſtem Stygio furiarum emittit hiatu,
Graſſarique jubet, ventoſque armare veneno.
Quis ſit *faticidus* renes qui perluit *humor*,

Qualis odor *matulæ*, quem nec faſtidiit olim
Balſama cui victæ pelvis ſpiravit Idumes.
Cuncta patent: nec cui furtivos impius ignes
Intulit, artifici melius ſua cognita proles.
Artis circuimus *mundum*, indignataque Gades
Tranſiit extremos, veteremque *Scientia* Thulen.
Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas!
Naturæ Phœboque ſacer! cui Delphica laurus
Amplecti frontem, radiataque tempora geſtit.
Flammæ illi parcent quem ſacris artibus Hermes
Imbuit, & doctos tenebris qui vindicat ignes
Illum nulla dies rapiet, qui lumina Phœbi
Donavit radiis, luciſque fugaverat umbras.
Non illum afflato Peſtis violare veneno
Audeat, aut tacitâ Febris torrere favillâ,
Qui morbis vitam, & letho donaverit ævum.

Philippus Fell,
Med. Stud. Oxon.

THOMÆ

THOMÆ WILLIS, *M. D.*

In Cerebri Anatomen Carmen.

QUI terræ pelagíque vias, mundique per omnes
Articulos ſpatiatur ovans, metáſque ſuorum
Herculeas audet ſupra poſuiſſe laborum,
Neglectus jacet uſque ſibi, dúmque omnia quærit,
Ipſe ſui quæſitor abeſt, *incognita tellus*
Solus *Nauta* latet, propiórque ignotior orbis.
Tu melior Typhis, ſpreto jam Phaſidis auro,
In te vela paras, animatos detegis orbes,
Humanáſque aperis auſis ingentibus oras.
Jámque novos laxare ſinus, animæque latentis
Arcanas reſerare vias, cæcoſque receſſus
Fas aperire tibi, totámque recludere mentem.
Humani quicquid ſuſpenſum eſt fornice cœli,
Quem teneant capitis laqueata palatia civem;
Altera cur foveat, cur protegat altera *meninx*;
Quos teſtes genuiſſe, animi quos utraque *mater*
Conceptus peperiſſe valent, quæ cella recondat,
Quis ſinus excipiat; quales mirabile nectit

Rete dolos, formas rerum & phantaſmata captans:
Seu mens præteriti retinet ſimulachra laboris
Membranis deſcripta ſuis, ſeu provida fatis
Imminet, & Lacheſi venturos præripit annos.
Quin ſpectare datum eſt tumidos quæ pectore fluctus
Suſcitet, & noſtrum tempeſtas miſceat æquor;
Unde *Amor*, atque arcum *nervo* quo tendere Natum
Idalium Cytharæa jubet; cur objice ſanguis
Siſtitur, & torto frænatur *venula* nodo.
Cernimus ut ſedeat *Dolor* & ſuſpiria ducat;
Ut *Metus* incertum condat caput, & ſibi fruſtrà
Conſulit, eque ſuis jam jamque evellitur umbris:
Ut nutans ægrè ſuſtentet corpora *Somnus*;
Ut *Riſus* dextrâ firmet latus; unde ſolutos
Gaudia dilatant animos, cum gurgite pleno
Flumen abit, totoſque juvat laxare rudentes.
Quâ *Ratio* ſublime ſedens per inane theatri
Nervorum dextrâ tenet & moderatur habenas.

Exultat jam *Diva*, videt vultuſque lareſque
Agnoſcitque ſuos, & cui natura tueri
Indulſitque referre deos, jam vertice ſurgit
Lætior, & ſpectat cognata erectior aſtra.
Jamque neces & fata juvant. *Stylus* iſte nocentis
Expiat & toties crudelis vulnera ferri.

Ipſa

Ipſa novos ſtatuit de ſe Libitina triumphos,
Furca cruceſque placent, & *bis* ſpectacula latro
Sanguinis hic jactet primus moviſſe lacunas
Sortitus famam vitæ cum fonte perennem:
Hunc *lymphæ*, *lactiſve latex*, hunc *glandula* laudet.
Diviſum vili *ſectoque cadavere* nomen
Quæſierint alii: melior tua pagina geſtit
Oſtendiſſe *hominem* ſpirantemque æthera *mentem*.

Philippus Fell, A. M.
Coll. Omn. An. Oxon. Soc.

In Obitum Celsissimi Principis Henrici *Ducis* Gloceſtrenſis.

VOlvimur, & cæco vitæ per lubrica caſu
Præcipites fortuna rotat, vix dum Anglia luctus
Sopierat, mœſtumque genis abſterſerat imbrem;
Solvitur en iterum in lachrymas, jam mitius aſtris
Credidimus ſpectaſſe Deos, parcaſque vacantes
Invidiâ, & poſitas animis cœleſtibus iras;
Albentes purique dies, ſorteſque bonorum
Sinceræ fluere, & ſoles ſine nube ſereni.
Cum ſacrum *Caroli* vultum & venerabile frontis
Contigerat pondus, radiantiaque ora tueri.
Interea audiimus cœlos fatale ſonantes
Attoniti, & magnis confuſa Britannia damnis
Singultus cantu, lachrymoſaque gaudia miſcet.
Quæque in feſtivos accenſa eſt flamma triumphos,
Credita præluxiſſe rogo, lauruſque cupreſſu
Ferali contexta dolet: plantâque ſilenti
Irrepens lætas pulſat mors invida turres;
Atque importunus dolor interpellat ovantes.
O nimium quæſite deis, quem fata repoſcunt
Maturum

Maturum divis juvenem, quem debita cœlo
Et præcox virtus, tenero ſublimior ævo
Eripuit terræ, ſuperiſque accendit amores:
Occidis, & Patriæ tecum dux inclyte ad umbras,
Spem trahis; & vota & miſeros unâ obruis urnâ.

Quanquam nemo unquam penetraverit incola cœlos
Gratior, & longus ſuperûm tibi ceſſerit ordo:
Quanquam ſidereas ſubmittant aſtra coronas,
Atque Ariadnææ ſerpant per tempora flammæ,
Omnis & exultans tanto hoſpite jubilet æther:
Te tellus tamen infelix, te patria luget
Præſidio viduata ſuo, dolet Anglia ſparſas
Dilaniata comas, Thameſiſque gementia volvit
Flumina, & æquoreas lachrymis petit auctior undas.

Fluxerunt tria luſtra tibi, jamque addis in arma
Te fratri comitem, magnumque exemplar adoras.
Obſtupuit miles quoties aut frigora noctis
Sub Jove, vel Phœbi tuleris patientior ignes:
Seu ruis in medias acies, & cominus hoſte
Decernis, denſamque in turbam fulmina jactas,
Agnovit fratrem *Carolus*. Te proripit ingens
Vis animi, & longe æquales annoſque relinquis.
Non ſecus in cunis olim Tyrinthius angues
Compreſſit puer, & cœlo ſe prodidit ortum.

Talis prætextâ nondum donatus, ad undas
Scipio Ticini, patriæ patrique cadenti
Umbo aderat, victæque dedit Carthaginis omen.
Spes Britonum, Lacheſis cui ſola inviderat ævum;
Cui Martis furor, & rabies armata pepercit,
Pace cadis. Sic dum Trojæ reſpirat ab armis
Pelides, molli choreæ feſtiſque Hymenæis
Indulgens, lætos inter Libitina triumphos
Delituit, magnumque patri reddebat Achillem.
At vos (Ledæo quanquam de lumine lumen
Extinctum eſt) vos ô longos durate per annos,
Sideraque Oebalii felicia vivite Fratres.

Philip. Fell, A. M.
ex Æde Chriſt.

Gra-

Gratulatio ob auſpicatiſſimum Sereniſſimæ Principis Catharinæ *Luſitanæ Regi* Carolo II. *Deſponſatæ, in Angliam appulſum.* 1663.

SEnſit inaſſuetas circum præcordia flammas
Inſcius, & blandos miratur *Carolus* ignes.
Qui Martis modo fulmen erat, quem bellicus ardor
Juvit, & armatum caſtrenſis & hoſticus ignis,
Ipſe ſtupet gaudetque novâ caluiſſe favillâ.
At fatis gratetur ovans, innoxius ille eſt,
Et decuit quem ſenſit Amor, mollemque Gradivus
Militiam exercet: ſunt & ſua prælia paci.
Jam Luſitano de littore regia ſponſa
Solvit, ubi Heſperiis Titan reſpirat in undis.
Hanc tibi vel notis cuperes Rex magne periclis,
Exiliiſque emere, atque unam perſolvere Divos.
Si Veneris myſtæ pandant oracula vates,
Ex ſimili ut conſurgat amor, non dignior unquam
Intravit ſacros conjux Auguſta penates.
Divûm ambo creti magno de ſanguine, & æquâ
Majeſtate pares: pariter dilectaque Divis
Nomina, ſorte pares ambo, virtutibus ambo.

Hiſpa-

Hiſpanos olim faſces & Sceptra Philippus
Heſperiæ, & mundi tenuit confinia Gades.
Unus cognato deerat diviſus Ibero
Luſitanus ager: veteres ſtat ponere fines
Nec novus antiquas limes diſterminet oras.
Oppreſſas aſtu gentes, direptaque regna
Criminibus, longum victor poſſedit in ævum,
Non tulit hoc vindex ſuperûm manus. Hiſpalis omn
Mox Exuta Tago, partiſque eluſa Trophæis.
Conjurat cœlo plebes, & libera ſolvit
Colla jugo, nullâque madet victoria cæde,
Et pater *Alphonſus* ſolio confidit avito.

Ingens curâ deum: cujus tutela Tonantem
Res hominum ſpectare docet: Tua *Carole* fata
Poſcebant eadem faciles miracula Divos.
Anglia, feſſa malis, fraternâque ebria cæde,
Viſceribus laſſis, rabieque exhauſta Tyranni,
Fuderat extremas exſpiratura querelas.
Audierant ſuperi: ſolis adjutus inermis
Auxiliis Divum, patriæ tu *Carole* terræ
Opportunus ades ſuſpiratuſque cadenti.
Quàm bene vos uno ſocient connubia nexu
Quos Deus & fatum atque eadem fortuna maritant!

Ergo

Ergo Auguſta veni. Facili famulabitur unda
Obſequio, & Paphiâ poteris conſidere conchâ.
Utraque par Diva eſt. Nam tanto pondere læta
Cærula dum ſulcas, gens circùm ludicra Amorum
Errat, & alarum velis diverberat auras.
Tu cum Neptuni veheris Regina per undas,
Non Jovis ille ſuo credet prælata tridenti
Tela, nec aſtriferam cœlis inviderit Argo.
Ne metuas, nova jam conſtantes poſſidet undas
Atque inſueta fides, animos poſuère procellæ,
Æquatumque tenet dominæ reverentia Pontum.
Diva veni, neſcis quàm te gens anxia poſcat,
Quàm tua vel ſponſum viduet mora: *Carolus* inſtat,
Ille, Noti ſi forte levi ſurgente ſurſurro,
Flamina ſollicitâ metuens captaverit aure,
Et montes maris & ratibus minitantia ſaxa
Concipit, & ſyrtes augur timor, Ipſaque Major
Tempeſtas animi & ſuperant ſuſpiria ventos.
Jam populi vox una, Venit. Jam littora circum
It clamor cœlo, & nomen revolubilis Echo
Ingeminat, plauſuſque ſuos & ſaxa Loquuntur.
Conſerti longo pendent examine cives,
Stipanturque viæ; accelerat cum Virgine mater,
Et properi juvenes, & jam non tarda ſenectus.

Nec

Nec ſatis eſt ſuperâſſe ſalum, dum compita fluctus
Cernis habere ſuos, cupidáque undantia plebe.
Exceſſit ſors noſtra preces. *Catharina* videris
Et melior famâ, & voto formoſior omni.
Ecce! tuis radiis Maii debentur honores;
Quà graderis crevere roſæ. Jam compita circum
Igne triumphali, & tædis majoribus ardent.
Curia jam plauſu reſonat feſtiſque Hymenæis,
Teque moræ impatiens cupidis amplectitur ulnis
Carolus, & multâ præcinctus tempora Myrto
Nectit Reginæ pariter Sponſæque coronam.

Philip. Fell, A. M.
Omn. Anim. Coll.

In

In Obitum Invictiſſimi Herois GEORGII *Ducis* Albemarliæ.

ERgo ſumma Dies, & ineluctabile fatum
Semideos rapiunt: modo regia funera mœſti
Flevimus, & magnis funeſtam cladibus Aulam;
Inſtaurat fortuna nefas, & vulnera plagis
Cruda novis onerat. Strictos qui tutus in enſes
Ibat, & ardenti volitantes turbine glandes
Securus belli, mediiſque illæſus in armis
Geſtabat nullo pectus violabile ferro:
Morborum inſidiis, & ſævæ vulnere pacis
Occidit, & poſitis jacet *Albemarlius* armis
Quos titulos, quæ geſta canam, quis carminis ordo
Surget? Ad occiduas Armis gliſcentibus oras
Mittitur, audaces fera cum Juverna tumultus
Miſcuit, & longi movit tentamina belli.
Illic & cædes, & dira incendia jactat
Loyolæ ſoboles; rebus quæ docta novandis
Semper, & impuris divos obtendere cœptis
Alma quidem tellus virus quodcunque beato
Expellit gremio, non illic luridus anguis

Sibila

Sibila commiſcet, non telam texit Arachne,
Non Bufo, non Rana tumet, ſerpentibus ipſis
Innocui ſaltus, & mollior aura veneno eſt:
Nequicquam; Auſoniis veniat ſi vipera terris
Sævior, & latè diffundat Roma venenum.

Arma Ducem majora vocant, has Anglia flammas
Concipit infelix, odiiſque ingentibus ardet.
Advolat, & ſacras partes, & regia promptus
Caſtra ſequi, genios momentaque grandia ſecum
Laturus; ſed fata vetant, ingloria ſorti
Præda jacet, lætamque urbem captivus inermis
Ducitur, & multis potior victoria palmis
Unus erat; premitur ſervili dextera ferro
Fortis, & ignavæ membra exedère catenæ,
Atque indigna fames, longuſque in carcere pedor.
Damna tamen graviora premunt; videt undiq, fractas
Inclinare acies, *Carolique* ruentia fata:
Quaſque videt patitur clades, dolet illud, inultas
Quod videt, immoriturque malis, & vulnere in omni
Ipſe perit; cæſi Regis ſuper omni crimen
Horret, & ultrices magno ſtant pectore curæ,
Vindictamque alit intus & altâ mente reponit.
Qualis ubi in Libycis Leo fortè incautus arenis
Incidit in caſſes; paſtor gaudetque timetque,

Et

Et prædam haud impunè videt: ſed ſiqua viam vis
Inveniat rumpatque plagas, ruit obvia quæque
Proſternens, longeque neces & vulnera ſpargit.
Talis erat cum damna furens & bella rependit
Scotica, & Arctoas latè conterruit oras,
Et patriæ vindex, & diri *fœderis* ultor.
Jamque Caledoniis excita eſt bellua Sylvis
Omnis & extremæ truculentior incola Thules;
Aſpiceres hyemeſque inter gelidaſque pruinas
Ultrices regnare faces, & ſanguine fuſo
Purpureas caluiſſe nives, ſtupet omnia Scotus
Perfidus, & fruſtra noctem longaſque tenebtas,
Ignotas fruſtra terras Thulenque requirit,
Extremo poſitus nequicquam in Limite mundi.
Majus opus moveo, premit ipſos dira rebelles
Seditio, & pœnas jam juſta repoſcit Erinnys,
Et ſua Terrigenas vexat diſcordia fratres.
Emicat Arctoi radians à cardine cœli
Immortale aſtrum & terræ Cynoſura Britannæ;
Hac duce & infames ſcopulos ventoſque ſonoros
Effugit, & populi graviores Anglia fluctus.
Quæ mentis divina acies, cum callida magnis
Conſiliis eluſa cohors, atque ardua ſemper
Reſponſa ediderat, dubiique Oracula Veri!

Illuxit

Illuxit multos longum meditata per annos
Jam fatis matura dies, ultuſque Parentem,
Reſtituit Natum: triplicis non pectora tentant
Imperii illecebræ, non fallax purpura tangit,
Nec ſibi ſe viciſſe putat: quod ſanguine multo
Criminibuſque emerent alii, cum ſceptra tenere,
Temporaque arreptâ poterat cinxiſſe coronâ;
Innocuas Laurus, & ſacræ frondis honores
Maluit, & caſtâ frontem circundare olivâ.
Qualis erat cum jam Procerum comitante catervâ
Excepit reducem Rutupina ad littora Regem!
Plenus uterque Deo! charis aſtringitur ulnis
Carolus, amplexus miſcens, & dulcia libans
Oſcula, & arcanos adſpirans intus amores.
Candida plaudebat niveis Victoria pennis
Nulla cæde madens; ſecura atque integra regna
Reſtituit, puraſque illibataſque ſecures.
Nec ſatis eſt quod ſceptra redux ſua debeat iſtis
Carolus Auſpiciis: ſtudiis tutatur iiſdem
Queis dederat, paciſque idem ſervator & auctor;
Commiſcetque pares armatis laudibus artes.
Sic ubi ſævorum Pallas poſt bella gigantum
Ægida depoſuit, dilectæ ante omnia regna
Cecropiæ petit, & proprias tutatur olivas.

Necdum

Necdum omnis tellus tanto ſatis ampla triumpho:
Nunc ingens patet Oceanus, frameamque ſuperbus
Submittit Mavors, & tu Neptune tridentem.
Æquoreos faſces & ſceptri jura Britanni,
Et vaſti maris imperium, quà flamina miſcet
Æolus, aut late fluctus ciet Amphitrite,
Vindicat. Innumeris tabulatur claſſibus æquor,
Et procera altis deſcendit montibus ilex,
Fridem aſſueta notis, magniſque invicta procellis,
Servatrix terris pariter Tua *Carole* & undis:
Signa illinc Batavûm fluitabant cærula malis,
Hinc Anglæ rubuere cruces, aſſibilat aura
Blandior, & pictas juſto fert ordine puppes
Ponti viva quies; credas innare triumphos,
Et pompam non bella putes: ſupereminet omnes
Celſa Ducis magni puppis; non æqua micaret
Gloria, ſi ſtellata polo deſcenderet Argo
Plena Deis; non cum Venerem Neptunus adorat
Mollia purpureâ ſulcantem cærula conchâ.
At ſubito horrendum diro Mars intonat ore,
Livida nitra vomens, piceæquæ volumina flammæ,
Sulphuraque, & cæcos ignes nigrantis Averni.
Quà ruit, effractæque trabes & robora vaſtis
Diſſiliunt quaſſata globis, truncataque membra

Semineceſque artus cœlo jactantur inani.
Horrida turbatum tempeſtas miſcuit æquor,
Sævior indomitoque mari cunctiſque procellis
Ira virûm: mediis regnat Vulcanus in undis
Victor, & attonitæ metuunt nova fulmina quercus.
Obſtupuit dux ipſe Erebi, tantaſque ruinas
Eumenides ſpectare negant, magis horrida Phorcus
Monſtra timet, Nereuſque udâ caput occulit algâ.
Tempeſtas vix tanta premet, cum magna ſatiſcet
Cœlorum moles, & terris miſta coibunt
Sidera, & immenſi labetur machina mundi.

Jamque ter attonitum curſu Sol circuit orbem,
Sæpe acturus equos retrò, totieſque tenebras
Rexerat, & tremulâ pallebat Cynthia luce;
Fortior inſtaurat pugnam, Martemque laceſſit.
Mene ait hoſtili captivum cernet in orâ
Rhenus ovans, mortemque timens conterrita Belgis
Devictis toties oſtendet terga Britannus?
Ante ego ſulphurei laniatus pulveris ictu
Membra polo ſemiuſta feram, diſcerptus ubique
Colligar, atque omni jaceam diviſus in orâ.

At Batavi, quanquam auxiliis & claſſe potentes,
Diffugiunt; numero major, Virtutibus impar
Hoſtis erant; fractaſque rates, ſparſæque legentes

Relli-

Relliquias claſſis pavidi ſua littora quærunt:
Jam furor & multi rabies veſana Lyæi
Ceſſerat, & pugnâ deferbuit ebria Virtus.
Jamque redit cunctis Dux inſuperabilis armis
Telluris pelagique potens, exercitus omni
Et major fato, magnis cui fœta periclis
Pacis iniqua quies, armato ſævior hoſte.
Dira lues miſeras ventis invecta per urbes
Campoſque graſſata furit; vitalibus auris
Immiſcet Libitina neces, & lurida toto
Excipitur peſtis gremio, vitæque fatiſcunt
Spiramenta, animæque fluunt in fonte venena:
Improba nec lentè ſpargit contagia, paſſu
Sed propero ruit, & tota agmina falce cruentâ
Demetit, atque omnis jacet uno in funere vulgus.
Sola medela fuga eſt; at longè finibus arcent
Damnatam morti plebem, maneſque ſilentes
Pallenteſque errant miſeris pro civibus umbræ.
Ille tamen (quanquam ulla duci nec tela nec enſes
Profuerint, quanquam obſtantes ſimul undique ruptis
Obicibus proſternat inaſpectabilis hoſtis)
Stat medias inter ſtrages, & publica penſans
Damna ſuis, tutoſque omnes diſcrimine in uno
Eſſe jubens, lapſis affert ſolatia rebus.

Quinetiam miſeram renovata pericula gentem
Sollicitant ultra, & laſſatam cladibus urgent.
Urbs antiqua viris, ſacro ſi carmine Bardi
Vera canant, nimium cognatæque æmula Trojæ,
Quam modo dira lues fatali torruit igne,
Nunc æſtu graviore cadit; per compita latè
Fax inimica volat, ventoque agitata furenti
Volvitur, & rapidæ jactat contagia flammæ.
Mulciber ignito ſuper alta cacumina curru
Perque arces equitat ſummas, petit aſtra ſuperbus
Vertice, ſidereæque ruunt in Tartara turres.
Extimuit cœli vicinas regia flammas,
Communeſque rogos, & magni funera mundi.
Non ita Sicaniæ ruptis fornacibus Ætnæ
In ſuperos nova bella movet, cœloque minatur
Enceladus, quoties liquefactum ſulphure montem
Evomuit, flammmaſque Jovi & ſua tela retorquet:
Æra ruunt latè campis, liquidique metalli
Flumina, & exundant flammæ torrentibus arva,
Et Siculum rutilis ardeſcit fluctibus æquor.
Nec memor uſque ſui tardove incedere paſſu
Lemnius, aut rapidos voluit cohibere furores,
Tutela afflictæ donec certiſſima gentis
Præſtaret *Monkæus* opem, fomenta voraci

Subjiciens flammæ, nitrataque ſulphura tectis
Immiſcens, ipſis reſtinxerat ignibus ignes.
"O miſeros nimium cives, quibus ipſa ruina
"Viſa ſalus; juvat & ſparſos habuiſſe penates!
Interea innumeris exhauſta Britannia damnis
Agnoſcit ſuperos, peſteſque, & dira venena:
Bella igneſque inter *Monkæum* appendere fortem
Nil dubitat, fruiturque malis ſub vindice tanto.
Hoc tamen, O ſuperi! facinus licuiſſe Britannis
Conquerimur fatis. Miſeris proh ſidera ſemper
Aſpera, & infenſi nimis inclementia cœli!
Ingens occubuit patriæ Servator & Ultor;
Occidit ipſa ſalus: nunc ultima vulnera genti
Parca dedit, pœnaſque omnes abſolvit in unâ.
Felix æternum meruit qui nomen in armis,
Et niveam nullo maculavit crimine pacem.
Felix cui licuit fudiſſe noviſſima verba
Principis in gremio: dextrâ ſed & Ille labantes
Compreſſit morienti oculos, animamque recepit;
Proſequiturque pio properantem ad ſidera planctu.
Interea Regum moles ſacrata ſepulchris
Depoſcit magnos cineres; felicibus Urnis
Aſſurgunt Auguſta cohors: tumulumque parantes
Certant officiis: *Henricus* conditor arcis,

*Arthurii Evardi*que & certa turba nepotum.
Quinetiam Virgo blandè gratatur *Eliza*,
Arbiter & Sanctæ pacis Steuartius heros
Jacobus, nullo reticendus carmine Vatum.
Ipſe etiam charas, cum longum exegerit ævum,
Carolus exuvias juxta, Dux magne, recumbet.
Jam non longa dies, rapidique injuria cœli,
Non Aquilo, aut cunctis rabies Fanatica Ventis
Sævior, Auguſti temerabit jura ſepulchri.

Phil. Fell, S. T. B.
Coll. Omn. An. Soc.

Sote-

Soteria Ormondiana.

TAndem querelis pone modum tuis
Juverna, tandem deſine luctuum,
Revixit *Ormondus*, caduci
Grande decus, columenque regni.
Gaudete ſacræ Pieridum domus
Eblana gaude, templaque Cynthio
Dilecta, quantum non Cythæron,
Non viridis juga tonſa Pindi.
Evæ! recentis conſcia gaudii
Sonent canoris littora plauſibus
Et ſaxa reſponſent Camœnis
Pulſa meis, iterentque carmen.
Cæca impiorum turba rebellium,
Inviſa ſemper Principibus cohors,
Zelique mentitâ ſub umbrâ
Docta pias adhibere fraudes.
Quo bella, quo vos deferet impotens
Tandem cupido? Siſtite barbaros
Motus fatigatumque Martem
Immodicis prohibete votis.

Ille, Ille regno eſt redditus & ſibi
Qui pervicaci fræna licentiæ
Turbæque ferratas catenas
Injiciet male contumaci.
Lanugo vultus vix nova cœperat
Veſtire pulchros, induitur ſagum
Ormondus, & *Scotos* frementes
Auſpiciis pepulit ſecundis.
Qualis juventâ fervidus impigrâ
Mutavit armis prima crepundia
Pompeius, & pulchro ſubegit
Pene puer, Numidas triumpho.
Quis fata verſæ dicat *Hiberniæ?*
Pulſaſque Muſas, templaque cœlitum
Disjecta non levi ruina?
Funera quis memorare dignis
Speret querelis? O Heliconidum
Eblana ſedes! ô Nemora! ô ſacræ
Laurus, & optandi receſſus!
Fontibus ô celebrata Tempe!
Fortuna quæ vos illachrymabili
Merſit ruina? quid niſi nomina
Tum nuda, deſertæque cautes,
Pieriis catulos ferarum

Celâſtis antris! Sæpe caput gravi
Mœrens *Ierne* vulnere ſaucium
Narratur oſtentâſſe *Nato*,
Sæpe preces gemituſque miſcens,
Per iſta, (dixit) per generis decus,
Per ſpem tuorum, per lachrymas meas
Fletuſque; per ſi quid paternum
Grande tibi eſt, miſerere gentis,
Aſſurge & iras concipe vindici
Virtute dignas, quáque tuis patet
Arena bellis, I, negatas
Quære vias, adituſque rumpe.
Quali medullas fulgure percitus
Ormondus arſit! flamma capacibus
Quæ infuſa venis! cum protervo
Indomitum ſcelus ire curſu
Paſſim videret. Me nova buccina
Me poſcit ingens militiæ labor,
Me (dixit) in bellum reſorbens
Unda fretis rapit æſtuoſis.
Veſter beatum *Carolidæ* genus,
Veſter, cohortes in medias feror,
Si totus obluctetur Orbis,
Vincet amor, ſtudiumque recti.

Hæc

Hæc elocutus Cæſareis caput
Devovit aris, nec violabile
Dixit ſacramentum, ter aræ,
Ter ſubitæ tremuere flammæ.
Exinde quali turbine proruit
In bella, quali fertur anhelitu,
Vireſque, vultuſque, impetumque
Fulmineo ſimilis Gradivo!
Heu! quantus Illi ſub Jove torrido
Sudor! quot illum non timidum mori
Pericla circumſtant! quot arces
Perfidiæ manifeſtus ultor
Dejecit acri (plus vicę ſimplice)
Belli procellâ! *Barbaricas* opes,
Curvaſque *Scotorum* ſecures,
Et trabeas, ducibuſque ſigna
Detracta teſtor; teſtor ad arduos
Affixa poſtes ſigna triremibus
Erepta, captivoſque currus,
Et galeas, clypeoſque centum
Perfoſſa telis. Quid fera prælia,
Quid arma tantum, regnaque proſequor
Colliſa bellis? *Ille* ramo
Tempora Palladio revinctus

Jani ferocis limina clauſit, &
Leges Iernæ reſtituit ſuas,
Deditque pacem, quam nec arma
Nec litui, ſtrepituſque rumpent;
Qualis beatis incubuit locis
Cum pulſa nondum ceſſerat impiis
Aſtræa terris, & beatas
Rura darent inarata meſſes;
Simplexque paſſim turba feracibus
Spectaret agris, Nectaris uberes
Errare rivos, atque truncis
Lapſa cavis trepidare mella.
Ah! ne ſerenos protinus inquinet
Soles iniqui turbinis impetus,
Canam nec *Ormondi* ſenectam
Sors levis in nova bella trudat.
Eheu veremur (Dii procul arceant
Omen nefandum) ne labor arduus
Fatumque *Juvernæ* ruentis
Immineat Duce reſtituto.
Sat *Ille* Martis pertulit horridi
Duros tumultus, & fremitum gravem,
Sat *Ille* diſtrinxit minacem,
Pro patriâ gladium ruenti.

Fallorne?

Fallorne? gentis dux bone *Hyberniæ*
Te poſcit ingens regia cœlitum;
Fallorne? an illuſtris triumphi
Signa dedit manifeſta tellus.
Magnum ſtupentes hinc iter ad polos
Emenſe, qualis, quantus & aſpici
Incedis? & gaviſa calcas
Siderei ſpatia ampla cœli:
Unde illa, Mundi pars quota ſit, vides
Subjecta tellus, terrigenûm metus,
Crebroſque in anguſto recurſus
Et ſteriles miſeratus artes:
Sic poſt laborum difficiles vices
Et poſt ſubactum totius impetum
Junonis, Alcidi ſupernæ
Emerito patuere ſedes.

T. Brown, ex Æde Chriſti.

In

In Artem Volandi.

PRæterii Artificum nuper cùm forte tabernas,
Mœſtum ac ſollicitum vidi genus omne, petenti
Quid foret in causâ, reſpondent ſe periiſſe,
Inventam modò damnoſam infeliciter artem,
Quâ ſubmoti homines terrâ per inane feruntur,
Suſpenſi levibus pennis, certo ordine junctis.
Quâ ratione quidem actum eſt de Cerdonibus, atque
Aurigis, ſi homines ultrò citròque volarent.
Hic me conductum, fateor, mercede volebant
Pernicioſam artem verſu proſcindere iniquo;
Quapropter valido inſtruxerunt argumento,
Nempè quod hæc res ſummo olim ſit cauta Senatu,
Ne quis ſubditus unquam extra confinia regni
Exportetur: præterea quod mos hodiernus
Pro nobis facit, & populus rideret abundè
Indutum pennis hominem: ſed maxima reſtat
Cauſa metûs, trepidate viri qui conjuge pulchrâ
Gaudetis, firmate ſeras, atque obice multo
Claudat verna domum, ac triplici ferro obſtruat Ædes;

Quid

Quid demùm ſi fortè camino illapſus adulter
Uxorem alatus ſtupret? ſic dicitur olim
Jupiter in cygni formam converſus adiſſe
Ledæos thalamos, ubi credo ſuavè canebat
Fato jam propiore: mihi herclè æquum eſſe videtur
Si gemino frontem cornu inſignire maritus
Gaudeat, ut mœchus conſutis fulgeat alis,
Dum fera Cornutus, quid ni ales fiat adulter?
Sed ne conſultò ſim viſus iniquior eſſe
Huic arti, apponam vobis quodcunque libenter
Præ ſe ferre boni poſſit: Quis, ſi optio detur,
Non vellet potius tranare levem æthera pennis,
Quam quadrigarum mala tædia ferre rotarum?
Concuſſus validos, tetrumque uncti axis odorem?
Adde quod & ſtomacho muliebri nauſea ſurgit
Vix tandem Menthæ ſucco removenda potenti.
Quin etiam invento celebri me opponere poſſum
Ingenioſi hominis, qui captivum aera clauſum
Utre, atque ex omni terræ regione petitum
Servabat ſummis præbendum non niſi amicis.
Haud quiſquam inficias ibit præſtantius eſſe, ut
Ipſo fonte bibat purum ſine fraude liquorem.
Denique ſi noſtram quis riſerit improbus artem
Tanquam momenti parvi viliſque, repono

Mul-

Multùm errare hominem, ſpes nobis maxima, nam ſi
Quis poſſet ſuadere viro multum locupleti
Nubes intra atque aerias mundi regiones
Delegiſſe locum ſibi vicinum æthera juxta,
Qui villas poſt ſe & patrimonia linqueret, ipſe
Contentus poſſim terrenâ vivere fæce,
Impuroque ſolo: fateor tamen æthere veſci
Perpulchrum eſt, porrò ex hebeti ſubtile & acutum
Ingenium cœli reddit puriſſimus aër.
O me felicem! liceat ſi quando tabellam
Cernere pulchrè picturatam in fronte figurâ
Alarum, muris affixam porticibuſque
Tectorum (currus ubi nunc ſqualentis imago
Apparet) quæ quo pretio conducere poſſis
Et quanti, quocunque iter eſt, oſtenderet alas.
Tum me continuo ad Lunæ fælicia regna
Proriperem velox rediturus non niſi magno
Argenti pariter libratus pondere & auri,
Impoſitâque novo orbi antiquâ relligione,
Omnibus occiſis, Hiſpano more, colonis.
Aut ſi forte aliquis commovit bella, perampla
Laturus ſpolia ex mutatâ conditione
Regnorum Lunæ, ſubitò regionibus iſtis
Miſſus adeſſe poteſt, doctus componere lites,

Nam-

(Namque alias ſeſe ſolet inter ponere gentes
Anglia) qui Belgam iratum, Gallumque ferocem
Conciliet, Lunamque æternâ pace bearet.
Sed mihi momenti magni res illa videtur
Aëris ad campos ſi quis transferre colonos
Sedibus è noſtris vellet, non aptius ullum
Commodiuſve reor tempus; namque huc legiones
Turmatim properare ex omni parte videbis.
Militiæ immunes nuper, ſigniſque relictis
Impranſi venient, exuti veſtibus, armis,
Tamque leves, cœlum perſtringere poſſe putares
Abſque alis: porrò numero jam Scotia plebem
Præbebit Terræ infenſam, *Caroloque* regenti;
Nullaque gens noſtris eſt aptior incola terris:
Quippe famem aſſueti tolerare, & vivere parvo
Aërio poſſunt Scoti pingueſcere victu.
Proxima ſuccedit, citharis poſt terga revinctis
Turba Poëtarum, quos aërias regiones
Jurares habitâſſe prius, tam multa loquuntur
De cœlo ſtelliſque, & ſphærarum concentu.
Quin & Pegaſeum ſoliti conſcendere quovis
Carmine equum, nôrunt pridem volitare Poëtæ.
Haud ita ſe facile attollent, queis jugera centum
Aut mille agri; quippe illos ſubſidere par eſt

Ad

Ad terram, ferrique deorſum à pondere tanto.

Quorum nil opus eſt, quoniam pars maxima noſtri eſt,
Quæis nec telluris punctum, quod euntibus obſtet.

At Tu præclaræ inventor celeberrimus artis
Gentibus aëriis poſitis quocunque ſub axe,
Stellarum hoſpitio, & cœlo propiore beatis
Jura dabis, nomenque Tuo de nomine dices;
Æternas poſtquam ſedes, pacemque dediſti
Felici Anglorum genti, populoque futuro.

Fr. Harding, A. M.
Coll. Div. Joh. Bapt. Soc.

Epulæ Pſeudo-Proteſtantium interdictæ.

NUper *Londinum* inviſens, vicoſque pererrans
Sedulus, & nugis multum & novitate locorum
Detentus, nil in totâ jucundius urbe
Quam quorundam hominum vultus, atque ora notare,
Quos ſapere, & multum ingenio pollere, ſagaci
Inceſſu ſcires; habituque atque indice vultu.
Miratus, rogo qui forte occurrebat amicum,
Quinam illi fuerint homines, vel cur ſibi tanti
Eſſe videbantur? ſubridens ille, quis ergo
Angulus extremæ latitantem te capit urbis,
Ignarumque hominem? neſcis hos eſſe Polonos?
Contra ego, quid nobis demum cum gente Polonâ?
An poſcunt Regem, an populi commercia noſtri?
Illum ergo Regem quem poſci ignare putabas,
Jam nunc, inquit habent: & jam convivia lauta,
Ferculaque apponi, ac populum, Regemque videbis.
Dum loquimur, coram ecce venit conviva togatus
Feſtinans; inquit, ſcires hunc eſſe Polonum,
Quòd toga conſutis intexta eſt pellibus; ut fit,
Arctoas inter gentes. Bone Jupiter! ipſe

Re-

Replico, tam ſanctos homines, quis crederet unquam,
Qui vultu oſtentant jejunia Relligionemque,
Ut noſtrûm reliqui, lauto indulgere palato?
Certè ego villoſum pecus hoc diſcumbere menſis
Non aliter reputo, quam aut urſos fronte ſeverâ,
Aut Curios vulpes, qui Bacchanalia vivunt.
Atqui de ſubito redeuntes cerno, nec alvo
Diſtentâ tamen, aut vultu, ſua gaudia produnt.
Neſcio quid miſero triſtes ſermone ſuſurrant:
Unde fidem meritam veterum proverbia quærant;
Multa cadunt inter calicem, ſupremaque Labra.
Hic me rem totam callens intercipit ille,
Omnes hi, fruſtrà quos Regis gratia fovit,
Publicolæ, *Carolum* vexant, odere *Jacobum:*
Jamque epulæ, tanto quas inſtruxere paratu,
Fœdus amicitiæ, & ſociati fœdus amoris
Nil aliud fuerint, (Rebus perſona trahatur)
Quam dira, irriſis, Regi, Fratrique ſimultas.
Hinc interdictis, confeſtim impranſa revertit
Turba ſtequens epulis: nimirum ut diſcere poſſint,
Ventriculo arrecti ad ſana argumenta Magiſtri,
Quæ docuit quondam ſapientis dogma Menenî,
Membra recuſabant (non longa eſt fabula) ventri,
Quo ſolitus veſci, juſtum numerare tributum;

Interea esurie enecta, & propè fracta labore,
Ad veterem rediere fidem, jam protenus ultro.
Hîc ego, qui ingenium mirabar Principis, usque
Jure, interdixit certe convivia Cæsar.
Nam cum terribiles fœcunde hæc sæcula passim
Conspiratores educant, atque farinam
Novimus esse ream, potuit nil tutiùs esse,
Aut fieri, fidos quo devinciret amicos.
Ne forte horrendum Pistorum in ventre lateret,
Atque infernum aliquod; ceu conjuratio quondam
Ut fama est, latuit, Trojani in ventre caballi.
Quis tamen elatos poterit restringere risus?
(Quamvis latrantis stomachi multum miserescit)
Cum miser ad sponsam vacuus conviva redibit
Fercula prælibantem, & ut omnia lætus ab ovo
Usque ad mala citaret, dum ille emunctus & ære
Et dapibus, lacerata cibi fragmenta reposcit,
Deglutitque rapax hesternæ crustula cœnæ.
Quid faceres, inquit, petulanti splene beatus,
Si vel ab undecimo properantes undique saxo,
Versùm urbem Armigeros vidisses? certe ego vidi
Indutos aurum, & festivâ veste micantes:
Nimirum, ut quidam insulsis cum fratribus olim,
(Quos ætas lusu sapientes ista vocabat)
Cum peterent longè, sitientes, ubera Tauri

Irriſi multum, ſiccique ex urbe redirent.
Interea toti qui vendunt nuncia Regno
Mercurii, atque fide tranſmittunt cuncta Polonâ,
Quid facient, poſtquam vetuit convivia Princeps?
Hebdomade aut totâ miſeris dormire neceſſe eſt,
Aut tolerare famem, niſi forſan prandia lautè
Deſcripta, in chartâ, queis præla parata laborant,
Clamoſos poterunt ventris depellere queſtus.
Prô ſævo cives nati ſub ſydere! quos nec
Dum demittit vivax inviſi ira Papiſmi.
Vaſtavere domos quondam turba impia Romæ,
Viſaque in unam tota eſt urbs abiiſſe culinam;
At nunc quæſitos (ita fama eſt) denegat ignes
Iſta cohors, noſtræ nimis ingenioſa ruinæ.
O ſi noſtra bonos poterit ſententia cives
Permoviſſe, ut quondam ingenti mole columnam
Struxerunt, orbi quæ toti oſtenderet ignes;
Sic nova jam turres luceret Pyramis inter,
Quæ exprimeret lancem everſam, urbemq; eſurientem.
Hîc ego, nunc aliis detentum rebus amicum,
Oxoniæ tenui liceat mihi vivere quadrâ;
Et Regi potiùs, Fratrique haurire ſalutem,
Quam cœtus inter *Genio* indulgere Polonos,
Queis tam larga crumena, ut emant tanti, Eſuriiſſe.

Ric. Dyton, Armig. è Coll. D. Joh. B. Com. Gen.

Conventicula dissipata.

ECquis nunc *Caroli* ramo felicis Olivæ
Impediat caput, aut frondentis vimine lauri?
Ecquis (Iô) meritos victori instauret honores,
Victori *Carolo*, quem non rationis egentem,
Lernæus turbâ capitum circumstetit Anguis.
Sæpe quidem nostrum Lemanâ exorta palude
Bellua funestis vexavit cladibus orbem;
Sæpe per Angliacos sparsit contagia campos,
Squammasque cristasque minax, & sibila colla.
Tandem uno *Carolus* magni par Herculis ictu
Fœcundum scelus, & centeni verticis Iras
Infregit, penitúsque animosum contudit Hydram;
Nam postquam infandas vetuit coalescere turmas,
Protinus è medio tantis exterrita damnis
Seditio, fœdum visu & mirabile monstrum
Cessit, & in tenues paulatim evanuit auras.
Eïa age nunc intra Privati limina templi
Quæ scelera, & quantæ steterant sine vindice fraudes,
Musa memor referas, primaque ab origine pandas.

Au-

Auguſtæ in medio (quid non Auguſta malorum
Concipit, aut quas non alit intra viſcera peſtes?
Stat ſacra Ædiculæ moles, Eccleſia mater,
(Parce mihi ſacram dicenti) ubi ſemiſacerdos
Neſcio quis curtatus iniquo forfice crines,
Et nigrâ cinctus togulâ, ſolennibus horis
Magnâ voce boat, turbæque ad ſcamna ſedenti
Non intellecti pandit myſteria verbi.
Huc omnes, quotquot mirus ſub pectore fervor
Exagitat, coëunt diverſo ex ordine cives,
Uſque à Patricio, qui largo abdomine tardus
Sidonias merces, & tinctos murice pannos
Ædibus in magnis venum proponit, ad illum
Qui clauſus conductæ anguſto in limite cellæ,
Taurino corio ſoleis ſuccurrit iniquis,
Et tritas ſolido fulcit tibicine pelles.
Huc & quæ lapſos dextrâ jam computat annos,
Plena Deo mulier, greſſum molitur anilem;
Illi clauſa quidem jam dudum obſurduit auris,
Uſque tamen venit auditum, captatque reclinans
Nequicquam patulo divina oracula rictu.
Nec matrona deeſt oculos dejecta decoros,
Nec quæ luminibus prima ad ſubſellia ſtantem
Detinet obliquis laſciva ſororcula fratrem.

Interea roſtrum divinæ nuncius iræ
Scandit ovans, poſitiſque in lævum dactylothecis,
Ter glaucos huc atque illuc circumrotat orbes;
Ter tuſſitque ſcreatque, & ter levat æthera verſus
Sudantes digitos: ſummiſſo murmure tandem
Incipit, atque humiles imitatus voce ſuſurros,
Tanquam aliquid Divi admotam garriret in aurem.
Mox querulo gemitu, & ſingultibus Ilia pulſans
Triſte ululat, celeri nunc curſu verba fatigat,
Nunc iterum tardos trahit in longum ſermones.
Scilicet uſque adeò variis ſe accentibus effert,
Totque ſimul reddit vocum diſcrimina, ut omnem
Dixiſſes uno clamare è gutture cætum.
Jamque inflans buccas & pollice ſtans erecto
Plenius ora rotat, jactiſque ad ſydera palmis
Subſilit, & valido pulvinum concutit ictu:
Nec mora, nec requies; Meretricem protinus alto
Culmine Romanam turbat, penitúſque nefandam
Ex imâ vellit radice ſuperſtitionem.
Cancellos, ſanctoſque choros, altaria, tædas,
Diripit, atque ipſam pariter cum ſindone mitram,
(Panniculos Antichriſti de veſte petitos.)
Interea ſudatque fremitque & pulpita quaſſat,
Tanquam ageret, quod ſuadet agendum: nec minus

In *Carolum* distringit amaræ spicula linguæ;
Illum etiam Papæ addictum, sedisque Latinæ
Cultorem inclamat, pravisque in devia ferri
Consiliis, prorsus divini luminis orbum.
Sic Regem, & Proceres obliquo crimine mordens
Auritos palpat circum præcordia fratres.

Quis tamen ille fores pede concutit importuno?
Lictor adest, multusque simul post terga satelles.
Quid nunc Auriculas, bone vir demittis inertes?
Posticum ne quære, gregem ne desere pastor:
Quo fugis, Heroûm fortissime! ---non vacat inquit
In cunctos libras bis denas solvere menses.
Dixit, & elapsus fallaci protinus antro,
Mortales visus medio in sermone reliquit.
Diffugiunt fratres, &, pallida turba, sorores.
Huc illuc sparsos (proh formidabile nomen!)
Constabellus agit: nunc hos, nunc occupat illos
A dextrâ lævâque, & chartis nomina mandat.
Pars aurum numerat, meritas pars altera pœnas
Persolvunt, clausi tenebris, & carcere cæco.

His concussa malis, gratos Fanatica cœtus
Deseruit rabies; atque indignata recessit;
Plebeiusque animi paulatim elanguit ardor.
Seditio, modo quæ specie pietatis & umbrâ

Pri-

Privatis viguit templis, in bella furentes
Haud ultrà impellet populos; nec jam amplius illos
Defendet numerus, junctæque umbone phalanges.

Jac. Newton, Armig. è Coll. Trin.
Oxon. Socio-Commenſ.

Excellenti in re Medicâ Admirabili Viro D. Tho. Sydenham, *M.D.* In Schedulam Monitoriam de Novæ Febris ingreſſu.

O Qui capacem nobilis artifex
Eludis Orcum; quò tamen ibimus
Cuncti, quot humanæ Parentes
Et decimæ tulit ordo Lunæ;
Præſens fugacem ſiſtere Spiritum,
Præſens maligno tollere de toro
Mortale Corpus, & propinquum
Exequiis removere Morbum:
Quem Nos honorem, quas ſtatuas Tibi
Ponemus, O cui non alium parem
In arte Phœbus, ſe remoto,
Aut oriens videt aut recumbens?
Quo Febris audax cunque movet pedem,
Te Mater omnis, Te lachrymabilis

Ac-

Accurrit Uxor, nè caducum
Orba virum puerósque ploret:
Seu Confluentes fortè timet notas
Decora Virgo; Tu faciem eripis
Periclitantem protegísque
Perniciem juvenum futuram.
Atqui odit artes & Tua pocula
Hæres profusus, Quem simul extulit
Ad spem implicatus vel Febrili
Igne Pater, vel Hydropis Undâ;
Mirè paratam, Te Medico, Senex
Protelat Urnam, non sine gloriâ
Phœbi tuâque, qui fugâsti
Pollicitum sibi magna morbum.
Sic Te scientem non faciunt Libri
Et Dogma pulchrum; sed Sapientia
Enata rebus, mensque facti
Experiens, animúsque felix.
Non Mille Plantæ & multa domi Vitra,
Igneſque Centum aut Hypothesis placens
Prosunt Medenti vel Coërcent
Sæva Luis mala, sæva Febris:
Ni pectus adsit consilii potens;
Ni plena rugis Experientia,

Usúsque

Usûsque naturam secutus,
Quid faceret moneant in aurem.
Hæc Praxis olim grande decus Sacræ
Adduxit Arti ; Sic Veterum stetit
Secura fama ; sic prævivit
Hippocrates, meritque Cœlum.
At non eandem forte pari viam
Pressit *Galenus* ; Non *Arabes* Virum
Æquè sequuti ; non Falernâ
Usque madens *Paracelsus* uvâ.
Primus relictæ Tu genium asseris
Fidemque normæ : En Diva Tibi Salus
Applaudit & ridens Juventus,
Vitaque non metuens Sepulchri,
Ex quo vagantem scripta manu Tuâ
Correxit Orbem Pagina nobilis :
Longum Illa Morbosis, Tibique
Perpetuum patefecit ævum.
Jam siqua restant, Eja frequentibus
Concede votis ; Nos Juvenilium
Vulgus Medentûm, Nos avarâ
Quælibet excipiemus aure.
Fortè & futuro tempore quispiam
Poëta, Musis charior, ætheri

Te

Te ſidus addet, Te ſalubre
Sidus, & in Criſibus benignum.
Me deſtinantem talia Chymicæ
Curæ repoſcunt: Me Medicus labor
Et Spes locatæ non vacare
Pieriis patiuntur undis.

Ed. Hannes, A. M.
ex Ædе Chriſti, Oxon.

Dioptrices

DIOPTRICES LAUS:

Ubi de { *Teleſcopio.* / *Microſcopio.* / *Conſpicillis.* / *Vitro Uſtorio.* }

NAturæ effœtas vires, mundique ſenectam,
Et longo labefacta ſitu jam ſæcula, fruſtrà
Quid, Superi, querimur? reparans ecce omnia damna,
Sanctior ars, nobis oculos, melioraque præbet
Lumina; &, antiquâ vafri ſine fraude Prometheî,
Arripit inſontes cœli de fornice flammas.
Inde pias accende faces, nec pectore ſolo
Accipe, Muſa, deum; tibi namque accedere juxta
Jam licet, æternóſque oculis audacibus ignes,
Et Phœbum perferre tuum; cupit ipſe videri
Jam propius; lætuſque novi cultoris honore,
Hactenus ignoti pandit myſteria Cœli.

Jamque mihi Parnaſſum ultra, Bifidumque cacumen
Efferri videor, ſubtúſque relinquere terras.
Scilicet hos, *Galilæe*, tibi debemus honores;
Æthereas aperire domos, acieque ſagaci

Aſtro-

Aſtrorum ſervare vices, ſedeſque Deorum, &
Naturæ ſcrutari oculato arcana Cylindro.
En totus miratur Atlas, quis nuncius illic
Siderus ſecreta Poli rimetur, & auſit
Poſt Pallenæos cœlum affectare triumphos
Rurſus, & arte novâ terras inferre Tonanti.
Nec minus interea cœleſtes Jupiter arces
Securus teneat, dum ſe ipſe *Satellite* crebro
Undique Stipatum circumſpicit, & ſimul omnes
Nobiliore deos videt exultare coronâ.
Major quippe ſibi, ſpeculo monſtrante, videtur
Addita majeſtas; ſolio ſublimior alto
Ipſe ſtupet fulmen dextrâ, ſceptrumque ſiniſtrâ
Augeri, tumidâ conſurgit Gorgone Pallas
Sævius & major nova ſidera terret Orion.
Læta Venus patris Oceani jam deſpicit æquor;
Seque juvat totam ſpecula meliore videri;
Et formam maculis, næviſque agnoſcit in ipſis.
Illuſtrat ſic terra Polum, dum tollit ad aſtra
Mortales, miſcetque deis, ſpecularis Arundo.
Ut verò Æthereâ, ſat ſe jactavit in Aulâ
Ars mirata Deos, parili mortalia vitro
Mox ſubmiſſa videt, Mundique arcana minoris:
Tum quæ Parrhaſii tabulas, doctaſque Myronis

Effugêre manus, nullo depicta labore
Ante oculos ſubjecta jacent, miriſque figuris
Ingenti exiguas mentitur imagine formas.
Interea Natura ſuos augeſcere fœtus
Poſt partum fœcunda ſuum miratur, & ipſo
Gaudet Prodigio, lætóque errore triumphat.
Dumque ſuis adytis, & cæcâ nocte recluſos
Theſauros defixa ſtupet, nihil illa Coloſſos
Suſpicit, in parvâ ſtat ſumma ſuperbia prole.
E tenebris ſic turba minor caput exerit, & ſe
Oſtentat terris parvi plebecula Mundi.
Cernis ut averſis Parthorum more ſagittis
Iratæ minitentur Apes, quâ ſæviat Oeſtrum
Cuſpide, vel Muſcam tutetur quanta Proboſcis.
Hoc ſpeculo ſi fortè ſuam Formica figuram,
Magnaque robuſtis creſcentia membra lacertis
Aſpiciat, jam majus onus committere tergo
Audeat, & priſcos iterum renovare labores
Myrmidonum, veteriſque redit jam gloria gentis.
Hinc Pygmæa cohors auctо cum corpore ſumat
Ingentes animos, & dignos Marte furores:
Jam truculenta novis incedat grandior armis,
Biſtoniaſque ad Bella grues, gentemque rebellem
Vindictâ ſtimulante vocet; fremit æthere toto

Hoſtis & attonitum dat Strymonis unda fragorem.
Nec tamen hæc credas artis ludibria, Vitro
Ipſi etiam gaudentque ſenes, dùm, nocte fugatâ,
Luminibus, geminos duplicato ſidere Soles
Excipiunt, reducis ſolatia læta Juventæ.
Stat ſpeculo longævus honor, quo ſacra vigorem
Canities, igneſque novos miratur, ovatque
Ipſa ſuas hyemes, ſeniique perire tenebras,
Emeritoſque oculos fœcundâ luce nitentes
Læta renaſcentis ſimulachra referre decoris.
Ætatis vix ſentit onus, vireſque ſenili
Frigore conſumptas; oculis pars maxima vitæ
Solamenque ſedet, quos cùm quaſi morte labantes
Ars firmat ſpeculo, duplicis confinia vitæ
Miſcet, & Æſonios præſtat fælicius annos.
Namque ubi torpeſcit lumen, ſenioque gravati
Deficiunt oculi, ſegnis petit ipſe latebras
Spiritus, & mœſtâ ſeſe Caligine condit.
Mox, Vitro faciente diem, novus emicat ardor,
Viſque animi rediviva ſuam feſtinat ad arcem,
Edomitâque ætate nitet; velut orbe recenti
Oſtentat renovata ſuos cùm Cynthia vultus.
Aſt ubi mutatis imitari Protea formis
Ars amat, Æthereos effingit callida ſoles,

Dum fovet in vitreâ conceptas Lampade flammas.
Has Siculus mirâ arte ſenex jaculatus ab arce
Sicaniâ, totam miſerando funere Claſſem
Conſumpſit, *Marcelle*, tuam; furtiva remotas
Carpſit flamma rates, incenſoque aëre toto
Fulgura ſparſerunt Cryſtalla inimica profundo.
Proximus Ætnæâ ſtupuit Vulcanus ab arce
Cæcas ire faces, rutiluſque incanduit Æther,
Erubuitque ſuos, Phœbus non conſcius ignes:
Ut vero Vitreâ vidit ſua tela pharetrâ
Vibrari, ſpeculoque jubar jam miſſile factum:
Miror, ait, Superi, quæ tanta potentia terris
Exuperat noſtras quantumvis Æmula, flammas!
Ecce novi ſoles, incluſaque lumina Vitro,
Accendunt Siculas noſtris ardoribus oras!
Concipiunt Cryſtalla faces, gremioque nivali
Vel flammas didicere pati, nec victa liqueſcunt
Nativo ſtipata gelu, proprioque rigore;
Stat contra glacies noſtri ſecura Caloris,
Augentque allectas innoxia frigora flammas:
Ipſe Vitro videor, quam noſtro hoc *Æthere Major*.

Nic. Hobart, Armiger,
è Coll. Trin. Oxon.

CARMEN

CARMEN PINDARICUM IN *Theatrum Sheldonianum.*

QUouſque linguas *oculis* litamus
Victimas tacentes?
Quouſque defixi ſtupemus
Saxei ſaxa, *plumbeique* plumbum,
Tanquam *nos* vacuis parata conchis
Simulacra cælo dedolaſſet Artifex?
Vocales ecce lapides & trabes *ſonoræ*
Ingratam humanis taciturnitatem
Cognatis exprobrant, *Dryas* quos *obſtetrix*
Eduxit rupto fruſtra de robore, fruſtra
Deucalioneo mollibant numina jactu.
Eia quæ doctis Muſica pulſibus
Tot malleorum ſuave concinentium
Agreſtes *cicurat* ſonos!
Cedant *Orphei* tandem miracula plectri,
Atque *Amphioniæ* fides;

Ille feras olim ſylvaſque ſequaces
Excivit & montes *vagos:*
Hic *Architecto* mœnia carmine
Stupenda *Thebis* addidit:
At ecce jam blando fragore
Ipſos murorum ſymphonia
Vates attonitos trahit:
At ecce *ruderibus* proſæ jacentem
Me me Poetam *extruit*,
Cui tantos liceat ſonos
Confuſæ ſaltem pro more imitarier Echûs.

II.

At nullum eloquium nulla ſonantium
Decora verborum *ſtrues*,
Vaſtarum trabium non enarrabile textum
Æquabit, ſolidamve exprimet *harmoniam.*
En ut ſublimi penſilis aere
Tenditur *campus juga* ponderoſi
Suſtinens plumbi, gravidumque fœto
Culmine montem!
O quam juſta fides nectit *amantes*
Arbores, quondam ſolitas *procari*
Blando murmure, nutibuſque blandis:
Connubio junctas ſtabili vis nulla revellet,

Divortiumque ſera non facient ſæcula.
En *audax* quanto machina niſu
Muros deſerit hinc & hinc relictos,
Metumque ſubjectis *jocoſum*
Salvis incutit uſque & uſque *tutis*!
Non illa planiſpherii *minacis*
Secura lapſum magis expaveſcit,
Firma quàm cœli camera arcuati
Æterni fornicis ruinam.
Tam ſtabilem jubet eſſe vaſtitatem
Ingenium *potentis* Architecti,
Quo nil *ſolidiuſve latiuſve*,
Quod molem ætheriam vi ſuſtinet Atlanteâ,
Carcere quod veterum teneri
Orbiculorum, neſciens
Auguſti extendit latè pomœria cœli.

III.

Divina *Wrennus* heu diu mathemata
Vel *docto* nimium *pulvere* ſordida
Evexit aſſurgens in altum,
Interque ſtellas *luce* donavit novâ
Stellis vel ipſis *invidenda*.
Illic Sydereo ſpectator in *Amphitheatro*
Vidit *ferarum* ſplendida prælia,

Iratiſque coruſcantes
Faucibus atque oculis *rogos*.
Illic ſerenarum *pictis* noctium *ſcenis*
Vidit Planetas *præſcios* cœli *mimos*
Humana *ludentes* fata,
Nunc ore riſus *comico* futuros
Feſtivoſque ſales, atque hilares jocos,
Æthereis celebrare *choreis*,
Nunc *face lugubri* radiiſque *pullis*
Et ſcelera & cædes nepotum
Fingere materiem cothurnis.
Tandem rependit *gratus* hoſpes ætheris
Spectaculorum ſyderibus vices.
Mirantur aſtra poſſe mortales manus
Ditare terras *æmulâ* cœli domo.
Quin & *rivalem* luſtrat amabilem,
Suamque cœlum deperiens *imaginem*,
Ut penitùs *ſpeculo* fruatur
Jam *plures oculos* & *lumina plura* requirit.

IV.

Quamvis hianti ſubtrahat popello
Modeſta frontem fabrica, ſicut decet
Sacro parente procreatam *virginem*
Non *turbâ* genitam *promiſcuâ*;

Pro-

Profanis ſubducat licet
Oculis plebis malè feriatæ
Intemerandum vultûs eximii decus;
Quale nec *Etruſcâ* miratus victor in urbe
Negavit olim *Carolus*
Cuivis mortali fore fas *profeſtâ*
Luce videre;
Non illa cœli tamen intuentis
Criticum lumen fugit; ultro Solem
Lynceum vocat, aſtraque *curioſa*
Centum receptat feneſtris.
Ingentis populi videt capaces
Pegmatum moles attonitus Sol,
Mundi *Superviſor ſupremus*,
Intérque varios undique miratur foros
Tam bellam ordinis *benignitatem*,
Dum nulla lucem pars queratur amiſſam,
Triſtemque *pulla* lugeat Eclipſin.
Hic Sole melius quilibet vel ipſo
Et cunctos vidiſſe poteſt, cunctiſque videri.

V.

Celandum nihil eſt, nihil tegendum;
Nullus hic error latebras requirit:
Perfecta ſurgit undiquaque moles,

Et *merito duplicis* gerit ornamenta *coronæ:*
Quanta debetur quotuplexque *Wrenno*
Laurea victori, ſervatori civica,
Capitique decentior *Architecto*
Turrita Cybeles corona?
Devictam nimium diu
Oppreſſamque *ſuis* miſerabilem *ruinis*
Tectonicen benignus
Artium civem reddidit urbi
Olim quæ rudibus dedit *vagiſque*
Artibus urbem.
Longa nequicquam rabies *Gothorum,*
Quæ *citò Romanum* perdidit imperium,
Bello terebat uſque *pervicaci*
Artem *vaſtoribus inimicam.*
Auxiliatrices fruſtra acceſſêre catervæ,
Orbiſque conſpiravit dedecus in ſuum;
(Nam *ſubruendæ* pronus Architecturæ
Ubique totus orbis erat *Gothus*)
Aggreſſus hydram *Wrennus* immenſam ruit,
Quanquam tenacis conſuetudinis
Loricâ ſquammatam adamantinâ.
Æmula nec partem nodoſa Triumphi,
Herculeæ ritu, clava ſibi vendicat,

Hic

Hic *radio* totam *debili* & *puſillo*
Barbariem ſternens, ſimul omnia monſtra ſubegit
Quotquot fœcundo tulit *ignorantia* partu.

VI.

En multus altis hinc & inde muris
En *triumphalis* ut reſurgat arcus,
Intuſque & extra nobiles columnæ,
Artis frequenter olim *abortientis*
(Ut mos *patriciis* malus *puellis*)
Proles *adultæ* matris *abſoluta*!
Hæ tandem ingenio columnæ
Hæ tandem *docto* labori
Quamvis *Herculeo* ſtatuunt *nil ultra.*
Prorepſit *inſtar arborum ſuarum*
Erecta terram deſerens ſpecuſque,
Radices quibus egerat tenellas,
Mundi recentis *humilis Architectura*,
Quam ſuis *Aborigines* in antris
Facturam ſeris ſevère nepotibus *umbras*,
Et *pulchras* magis & magis *ſalubres*;
Paulatim *truncum* crevit in arduum,
Sed falce majorum ſeverâ
Depreſſam bene *luxuriem* retro
Caſtigata coërcuit. Hinc

Hinc craſſa *denſato robore* prævalens
Simul & *virili* ſpecie decora
Dorici nodum capitis deorum
Templis ſuppoſuit, potens ferendis
Cum cœlo late immenſo Diis univerſis.

VII.

Mox cultiores inter *Ionum* mores
Conſita campis uberis *Aſiæ*,
Ingenio ſeſe *comem* populique ſolique
Accommodavit *obſequens*:
Scapo procera delicatiori
Surrexit altum fœmineis caput
Gaudens ornare *Volutis*.
At non *molliculæ* ſimilis *mulierculæ*
Tenella formam coluit *imbecillam*,
Sed qualem decuit ſupponere vaſtis
Epheſii Tholis miraculi;
Sed qualem decuit *viragini*
Operam *Dianæ* dare,
Quæ *compta* gaudet ducere nunc *choros*,
Mox & ferocem, *roburi ſacro fidens*,
Ferro cominus aggredi leonem.
Nondum ſupremum contigit formæ decus
Hoſpitem donec bene grata pulcram

Corin-

Corinthus effeciſſet pulcriorem.

Enata buſto virginis *Corinthiæ*
(Quam mors *beatam* juſſit eſſe *matrem*)
Perfectum æternâ redimivit *fronde* caput,
Quam nequeunt hyemes mille, nec ipſum
Mummiæ Laurûs *implacidum* ver
Decutere innumerâ ſævius hyeme;
Superſtes uſque durat, & ſuperſtitem
Gaudet ſervare *Corinthum*.
O digna *floreo* columna *ſerto*
Quod tibi poſteritas *compoſuit* bene!
Sic olim truncos formâ ſenioque verendos
Donarent veteres *alienæ vere* juventæ.

VIII.

Quo me Muſa rapis? quid juvat avias
Artis obſcuræ penetrare *ſylvas*?
Quid implicatos inter arborum nexus
Et *Labyrintheos* ſcopulorum anfractus,
Laborioſas vix movere pennas?
En quantus vacuo latè patet æquore campus,
Invitatque vagas ſpatioſus alas!
Non tantum *Alpheo* riguum benigno
Piſæ florentis nobile pratum
Feciſſe quondam *nobilius* tuo

Digna-

Dignabere volatu;
Cum juvenes oleâ fruſtra victrice ſuperbos
(Ni tu connexam laureæ vatis tui
Frondem perenni vere donaſſes brevem)
Pindarico æternùm juſſiſti *vincere* cantu.
En major patet undiquaque campus
Fertilis laudum, licet uſque meſſem
Carpas immenſam, *creſcet* in obviam
Premetque falcem, neſciâ domari
Superba gaudens copiâ.
Hinc ſume paucos ſume libens tibi
Quos ſpargas humilis miniſtra flores
Ante pedes magni *Sheldoni*.
Nam tu (quantumvis diligas audaciam)
Uſque adeò nunquam credo eris improba,
Ut velis *capiti* verendo
Ambitioſa tuas ſtolidè circumdare nugas.

IX.

Neſcit laureolas geſtare ineptas
Eccleſiæ militantis *dux triumphalis*,
Cui ſacras ambit ſacra comas mitra,
Mitra ſplendorem quæ *capiti* ſuum
Debet acceptum, nec radiis nitet
Aureis tantum, nec iſtis

Luce

Luce quos dives pretioſiore
Gemma reflectit:
Lumen recondat ſol licet benignum,
Nubeſque glomerentur minaces,
Splendet *nativo* lumine fulgidus
Sheldonus, & æternum ſplendebit
Eccleſiæ vel *cadentis dux triumphalis*.
Furente bello mutuiſque mundum
Conquaſſante odiis revulſum iniquo,
Immotus ille perſtitit *futuræ*
Fundare *pacis* artibus Theatrum.
Mox licet ipſa bonis pax *ſæva* minetur,
Dum turpes animat fovetque ſectas,
(Ut ſolet calor excitare vernus
Agmina *reptilium venenoſorum*)
Quanquam *theatris* improba vel ipſis
Fanaticorum concio *mimos* agat,
Solitaſque meditetur *tragœdias*;
Pergit *ſecurus*, dubioſque cives
Vetat timere publicas *ruinas*:
Sic ingruente pluviâ, per imbres
Erigit adverſos ſubridens lumine blando
Sol arcuato penſile fornice, &
Luce depictum variâ *Theatrum*;

Sic ille ſacri pignore fœderis
Diluvii refluum ſpondet non affore fatum.

X.

Quotcunque jactet dives iſte *inanium*
Arcus opes liquidas colorum,
Sheldonii ut primum ſpecto laquearia *cœli*,
Inops videtur, tunicamque amictus
More *mendici* variis pudendam
Interpolatis undiquaque pannis.
Quis Divûm *Stretere*, tuæ quis lumina dextræ
Indidit atque oculos? oculis quis munera viſûs
Ætherei? fruſtra murum tibi corpus opacum
Objicit & tenebris theſaurum obſcurat *avaris*,
Tu reſeras animæ gazas, tu pandis *acuto*
Abdita peniculo *infoſſæ penetralia* mentis.
Fœcundi ſoboles orientis artes
Occiduis cum ſole plagis venêre ferentes
Influxum lucemque parem;
Sed patriæ memores (arcano ſceptra receſſu
Cui placuit *ſecreta* coli, *regeſque latentes*)
Se quoque ſubducunt, majeſtatemque recondunt
Velatam proprio lumine myſticam.
At nunc *retectæ* prodeunt, tandem *ſuos*
Oſtendunt *pictæque* colores;

Tan-

Tandem benignæ reſpiciunt procos
Et *pleno intuitu* beant;
Quos nymphæ veluti fugaces
Dumorum in ſalebris toties latuere protervæ.
Sed tibi præcipuè tibi blandum renident
Artes, *Stretere*, faventes:
Una indignatur ſuffuſa rubore Poëſis,
Quod nequeat calamo hoc rudi
Referre dignas penicillo vices,
Pictoremque ſuum *meritâ* exornare *tabellâ*.

XI.

At ecce naſum perſpicillo *putrem*
Armatus antiquarius ſenili
Vicina poſtquam millies & amplius
Cuncta luſtravit monumenta *tardus*,
Laudavitque vice millies millenâ
Vultus dimidios, fractaque brachia,
Pedeſque manco corpore *devios*,
Cognataſque ſuis ubique rugis
Rupti frequentes marmoris cicatrices,
Tandem vix oculo *volante raptim*
Percurrens vaſtæ ſocors miracula molis,
Romanos celebrat, meroſque *Scauros*,
Pompeioſque crepat, *Cæſareſque* divos

De-

Debita montoſis penetrantes aſtra theatris.

Quin tu requiris qui per arva nummos
Urbis relliquias *pecunioſæ*,
Mundum cui libuit ſubactum *aranti*
Laſcivâ malè prodigalitate
Semente ſulcos *aureâ* replere;
Fac digna tandem *meſſis* ut reſurgat,
Qualem *Romanus culta* per *oppida*
Retuſus enſis *langüit* metendo:
Fac redeant ut opes *Neronianæ*,
Theatra cernes digna *mimo Cæſare*:
Theatra cernes ipſo *Jove* digna tragœdo.

XII.

Aurifero quicquid *Pactolus* fonte recluſit,
Volvebat flavo quicquid in amne *Tagus*,
Quotquot *Erythræo* deſumpſit ab æquore gemmas
Urinator *Arabs* vel *Indus*,
Æſtu ſecundo prona *Romano* tulit
Fortuna fiſco *locuplete inundans*
Urbem *diluvio* ſuam.
Lympha per vicos pretioſa plenos
Reciprocante devoluta *fluctu*
Huc illuc variè rotata gyros
Ludebat *Euripi* vagos,

Ul-

Ultraque ſemper progredi recuſans
Fida permanſit *glomerata* noto
Gurgite Romæ.
Fruſtrà *liquatas* turba *cataractis*
Prodiga *diſruptis præcipitavit* opes;
Innumeras fruſtra quiſque *reconditas*
Corrupit imbre *gemmeo* puellas
Pauperie Jovis irriſâ, qui *miſer unicam*
Contempto Danaen redemit *auro.*
Fruſtrà bibebat unionum *pocula,*
Quorum guttula quælibet vel ipſi
Invidenda *Tago ditior* occidit;
Fruſtra *perdendas* Oceano truci
Oppoſuit *Romanus* opes, receſſit
Oceanus, *victoque* novas dedit æquore terras.
Poſt tot *prælia Roma contumacem*
Tandem non potuit *domare* cenſum;
Arte *fatigatâ* luxuque *exhauſto*
Languida ſuccubuit, victam ſe faſſa, libido.

XIII.

Natura mater filiis *Britannis*
(Ut ſolent *primogenitis* parentes)
Largita fertiles benigna *fundos,*
Lautis *quietos* prædiis beavit.

Natu minores quos opimiore
Ditare nequiit hæreditate,
Labore multo *ſedulos* coëgit
Pecuniarum *ſummulas* relictarum
Undique redactis auctitare nummis.
Hinc rivum *geminâ* quem fundit America *mammâ*
Oceanum victor qui premit *aureus*,
Arentes Genuæ montes *Bataveque* plaudes
Totum *bibaces* penitus exhauriunt:
Ad nos ſi *revomat* forte aliquantulum
Turpis avaritiæ *crapula* Belgicæ,
Luxus hoc noſter cupidè reſorbet,
Reſorbet atque iterum *vomit*.
Quantillum iſtius tandem *aliquantuli*
Purgatur uſus ſepoſitum in ſacros?
Eccleſiæ tamen hoc *quantillum*
Heu *quantam invidiam* movet?
Hoc excitavit nuperos *ſicarios*,
Veſte queis matrem ſpoliaſſe pulchrâ
Explere nequiit impium furorem;
Quin proles atavis *digna* ferocibus
Antiquâ *Britonum* barbarie truces
Corpus parentis *enſe penicillo*
Conciſum horrendis fœdarunt undique *monſtris*.

Hanc

XIV.

Hanc rex miſertus (ſanguinem ut decebat
Martyris coronati ſuperſtitem
Qui pius exhauſtam numeroſo vulnere cernens
Cruore donavit ſuo)
Hanc rex ſororem, filiam, parentem,
Ut poſſet ſalvam tandem, *Sheldone*, videre,
Commiſit fidei tuæ.
Tu *lene* plagis balſamum cruentis
Inſtillas *placidâ* benignus arte;
Tu nudam *modeſtè* decoro
Cingis amictu.
Dilectos matri natos matremque diligentes
Foves alumnos *Oxonii* tuæ,
Qui poſſint tantis olim ſuccedere curis.
His ne voluptas *innocens ſeveris*
Luduſque defuerit *honeſtus*,
Theatra condis, effuſoſque
Pergis ſuppeditare ſumptus.
Laſſantur numeri, citharæque *fatigatæ*
Deficiunt toti non auſæ accedere ſummæ:
Excreſcit uſque vaſta, limitemque
Dedignata pati ſe comprobat *infinitæ*
Natam *legitimam* magnificentiæ.

Nos molem interea turba *Scholaſtica*
Latè coruſcantem ſtupentes,
Clamamus *Logicæ* fidem
Montemque (ſpectemus licèt)
Vix abjungimus *aureum chimæris.*

XV.

Augere impenſæ quemvis *miracula* tantæ
Quis potuiſſe putet?
Augere docti potuit imperii
Doctiſſimus vicarius,
Sheldono Fellus meritò ſecundus & ſoli.
Hic dum *benignâ* comis *æquitate*
Salariorum munus adminiſtrat,
Additque *vultus* penſionibus *bonos*,
Mox *efficaci* languidos præſentiâ
Suſcitat fabros & urget,
Ingeminat pariter *nummoſque dieſque laboreſque.*
Hinc *arcta* quoties ratio ſupputantium
Minas & *hebdomadas* ponit,
Opus reclamat, & ſibi credi poſtulat
Talenta dum refert & annos:
Opus reclamat, atque inæſtimabiles
Implere *Felli* calculum jubet *curas.*
O dignus aſtris *igneus* animi vigor!

O digna ſole, digna *rivali* induſtriâ,
Qui ſeſe *officio* jactat ſublimis *eodem*,
Dum circum aſſiduus curſum rotat indefeſſum;
Nec mundum torpere ſinit, ſed luce jacentem
Excitat, & ſolitos mandat renovare labores!
Evigilat pecus omne ſolo, lætæque volucres
Aëra *ceſſantem* pennis & voce laceſſunt.
Mox & nocturnis paulatim emerſa *ſepulchris*
Gens hominum *interrupta* capeſſit munia vitæ.
Nec gravis indulget terreno gleba *veterno*,
Sed ſua *netrices* producunt *ſtamina* plantæ.
Ille inſtat radiiſque minax caſtigat inertes
Acribus increpitans, gnavos reficitque fovetque.
Continuò immenſæ reſeratur janua *gazæ*,
Fiſcum aperit quæſtor, luciſque *diaria* ſolvens
Splendidus *ætherio ſudores penſitat auro*.

XVI.

Nunc primum ars didicit Theatra *blando*
Lenis ingenio ſtruere *innocentia*,
Quo natura modo ſolet
Ædificare animalia.
Olim ſonabant vinculis ſodinæ,
Quæ ſervulorum gregibus, indidit victo
Romanus inſolens victor.

Laſſabant raucam miſeri ploratibus *Echon*,
Diſrupta *validis* marmora querimoniis,
Prævenere manus gementium.
Aſtabat gravis inſpector vel ipſis
Durior *ſaxis*, operi negatos
Terga ſuper numerans cunctos vigil ictibus ictus.
Multos ruinæ, cæteros longus labor
Oppreſſit urgens, omnis emerſit lapis
Tunc *ſepulchralis*, nec *maculis* tantum ſuis
Inſons erubuit, reſperſus ſanguine Ophites.
Sic cæde multâ cædibus crevit locus,
Et *tenerum in cunis didicit ſævire* Theatrum.
Moles avorum quam bene *degener*
Exoſa labem naſcitur crudelium?
Huic ipſa facili ſaxa *miteſcunt* indole,
Sumuntque juſſas ocyus figuras,
Quam quæ reflexus vidit Deucalion viros.
Mox eadem bello durata ætatis *amico*
Vel firmitate provocabunt marmora
Quæ dudum cultu gaudent ſuperaſſe decoro.

XVII.

Cedere ſe natura libens fatetur,
Victricemque ferens cervice ſuperbior artem
Auguſto nitet ornatu, & *captiva triumphat*.

Artis

Artis *trophæis* artium *pugnaculum*
Quam cingi placidum decet?
Hic non urſa gemet, non leo rugiet,
Nec *ſæviorum* paria gladiatorum
Concurrent impete *bruto*.
Pectoris humani *caveâ* exagitare latentes
Pugnaci ingenio ludus erit *feras*:
Has periment multâ cinctas *indagine* riſus
Acuta jocorum *ſpicula*.
Plauſum terra dabit, dabit æther;
Plauſum beato cincta cælituum choro
Maria Sheldono dabit,
Qui ſanctus iſtas expulit templo feras,
Turpeſque deduxit beſtias
Alio necandas; noluit puerperam
Æternûm *ſtabulo* jacère virginem,
Quo toties vitii *commotum ſtercus* oleret.
Quis nunc profano queritur impendi loco
Sacras divitias? quis invidet
Bonis dicatam literis malus domum,
Et *templa* ſecum *templa* muſſat improbus?
Non ille templum ſaxa qui cumulat facit
Sed qui *ſacra* facit: *templum Sheldone* dediſti.

XVIII.

Quis tantis tibi pro meritis, quis digna rependet
Munera?
Quodcunque valeant *pauperes* Musæ dabunt,
Quas infelices veluti *Caryatidas*
Oppressit ætas *barbaris* gementes
Substructionibus rudis.
His tu Theatra condis, & choros jubes
Permistis *hilares* ducere gratiis.
Mox docta *rediment* labore lusus,
Styloque multum sedulæ sacram tibi
Exsculpent *solidæ* statuam de *marmore* famæ,
Quæ sueta monstris fabulisque, *verum*
Ut vidit hic *miraculum*
Obstupuit, saxoque stetit mutata rigenti.
Erecta vultus effigiem tui
Dignam syderibus, tollit in æthera,
Angustam nimium terra crepidinem
Præstabit statuæ immensæ, vix satis capacem
Curvatum toto cœlum dabit æthere concham.
Ridere *nanos* fas erit *Colossos*,
Pygmæumque Rhodi tumentem.
Hanc juxta positus si modo *Alexander* staret,
Integro cælatus *Atho montosus*,

Magnum

Magnum puderet *tantulo* nomen dari
Pumilioni.
Talia nequicquam devictâ mole ſuperba
Simulacra tradent poſteri ſilentio;
Aut *meritis* veluti *China* ſuum *Fe*
Curtabunt monoſyllabis.
Poſthac Sheldoniâ *ſacratam* in imagine famam
Inſonti ſolam cultu venerabitur orbis;
Nec cædent jumenta homines invita litantes,
Sed *facient linguiſque* ſuis atque *auribus* ultro.

XIX.

Non ego ſi cunctas mihi gens humana dediſſet
Quotquot habet linguas, totidem reſonantia miris
Ora modis, poſſem dignè celebrare canendo
Sheldonum vel *dimidium.*
Non *Latii* vates, non quos ſua Muſa rotundo
Ore loqui docuit cives, bellíque tumultus
Et pelagi, nimboſque æquare & fulmina verbis
Sufficient *Græci*:
Non vel *Sheldonii* quamvis de marmore præli
Viribus acceptis *Antæi* more reſurgunt.
Hoc unum æternis fata invidère figuris,
Quæ *ſolum* nequeunt dignè expreſſiſſe Patronum.
Cætera prona fluunt facili ceſſura labori.

Quic-

Quicquid *Niliacæ* ſignarunt *numina* chartæ,
Pergama membranis quicquid pinxere repertis,
Quicquid *Arabs*, *Induſve*, vel ultima regio *Serum*
Doctrinæ cumulo ſuperaddidit *Europeæ*,
Aut periit dudum, aut tenebris damnatur *iniquis*.
Tam ſcripſiſſe parum eſt.
At vos *Oxonii* proles doctiſſima matris
Edite perpetuis manſura volumina ſæclis,
Sheldoniis mandanda typis, noſtroque relicto
Mox immenſum orbis latè impletura *theatrum*.
Nec *manca* ingenii plorans monumenta *fugacis*
Poſteritas pulchras colet *indignata* ruinas;
Æternà vos fama manet *veneranda juventâ*:

XX.

Quid faciam? laſſo novus incumbit labor,
Aliena laudum venit venit *acies*,
Muſamque laceſſit *anhelam*;
Agnoſco longè vexilla nitentia,
Howardianæ ſigna quis neſcit domûs;
Quæ ſola laudum ſola titulorum valet
Tantas alere copias,
Floddeniis victrix quantas delevit in agris,
Cum rueret pelago *Scoticus* cruor, & fremebundum
(Sic *victor* ſaltem) torrente retunderet æquor.

Gaude-

Gaudet *feroces* impete vivido
Stirps generoſa domare;
Oppreſſos eadem *lætior* erigit;
Nec ſeris licuiſſe ſinit vel annis
Dum pereunt, veteres perdere ſemideos ſimul.
Perire dixi? funera lacrymis
Proſequimur *ſtolidis vana ſuperſtitum.*
Scilicet anguineos circumvoluntur in orbes,
Extremæque animam caudæ de torque *reſugunt.*
Nos nos *interimunt* interire neſcii;
Iratiſque licet *ſpicula* faucibus
Tetrumque demſerit *venenum*
Aut fortuna favens, aut melior Deus;
At *lætos aureo picti* dum circuunt tractu,
Amplexibuſque blandientibus mulcent,
Ignaros ſenſim lambendo depaſcuntur.

XXI.

Ipſum *parentem* progenies fera
Annoſum tempus *teneros* quod procreat annos
Mox *recipit* patulo fugientes oris *aſylo,*
Ipſum parentem progenies fera
Anguem (qui veteris *ruderibus Chai*
Coævus orbem prodiens cinxit novum
Flexilis & variis metitur ſæcula *ſpiris*)

Ipſum

Ipſum *vipereo* ſoboles furore
Parricidis uſque lancinavit morſibus,
Donec vulneribus hinc & hinc fatiſcens
Cicatricoſam pudibundus abderet *caudam*,
Ultimaſque retro pariter *ſepeliret* ætates.
At poſtquam jubar *aureum*
Splendidæ refulſit munificentiæ,
Qua ſepulchretis penitus *ſepultis*
Donavit *Heros Illuſtriſſimus* lucem
Sydus Arundelæ benignum;
Reſuſcitato prorepens vigore
Emicuit validuſque vividuſque.
Deterſo nitidus ſitu,
Stellatus ſquamis terga micantibus
(Qualibus aſtriferos ingens complectitur orbes
Cœli Sydereus Draco)
Antiquitati pandit lumen *obſcuræ*,
Tenebraſque demit Hiſtoriæ;
Majoribuſque poſteriſque partitur
Largus influxum *bifidum*, vetatque
Illis *præteritum* deeſſe, vel his *futurum*.
Tantum veneno non potuit *ſalutari*
Serpentiformis Epidaurius deus;
Unum iſte mortalem brevi

Re-

Reſtituit vitæ, *Virbios* hic anguis
Innumeros reſuſcitat,
Quos nec *Jovis* ira nec ignes,
Quos non *ipſe* ſuo poterit conſumere dente.

XXII.

Emergunt latebris marmora ſquallidis,
Et Græcos ſimul explicant honores,
Quos tellus ingeſta diu *graviorque* premebat
Barbaries ſuperincumbens.
Conſurgunt *iterum victores Pancratiaſtæ*,
Quondam *decoro* pulvere ſordidi,
Nunc *turpem* excutiunt ſitum,
Antiquoſque palam gaudent monſtrare triumphos.
Plus *Aſiarchis*, plus dedit omnibus
Heros tibi, *Smyrna*, *Britannus*.
Donârunt illi morituris præmia fruſtra
Civibus, ipſa ſuis olim tumulanda ſepulchris.
Æternùm hic monumenta jubet durare, viroſque
Reſuſcitatâ vivere memoriâ.
Rurſum Cecropiis oritur gens *Attica* glebis,
Indigenaſque iterum terra parit ſuos.
Reductus Orco cernitur *Theſeus novo*,
Divoſque ſecum ducit, & *Superos* facit.
Renata patrem tota cœlituum cohors

Sa-

Salutat *Howardum Jovem.*
Sed tantos inter quos ſibi *poſteros*
Aſcivit *ultro*, clarior emicat
Henricus genuinus hæres,
Sublimis columen domûs.
Hic major titulis altior omnibus
Inſurgit *nudus* honoribus.
Hic *eruditâ* liberalitate
Virtutis monumenta ſuæ, monumenta vetuſtæ
Sacra Academiæ,
Contulit *Angliacis ſapiens* largitor *Athenis.*

XXIII.

Cingunt Theatrum quàm bene ſplendidum
Obſcura fuſci rudera marmoris!
Antiquitatis *umbra* quam juvat ſacræ
Noviſque *lucem nube* vicinâ novam
Structuris addit *amica*!
Fragmina ſic veterum ſcientiarum,
Sic *fœda, putris, verminoſa* moles
Nutantem infido quam poſuit ſolo
Feſtinante manu *temerarius* & *malè laxâ*
Compage *caducam*
Stagyræ alumnus, æde naturam ſuâ
(*Inepta fortem* ſicut *Alciden Tyros*)

Vin-

Vincire geſtiens *Deam*;
Hæc ipſa moles *irreparabili*
Dudum collapſa ruinâ,
Quam *futiles* ſcholaſtici laborant
Inſtaurare iterum *validumque* inducere tectum
Araneoſis hinc & inde telis,
Hæc ipſa moles adjicit *nitorem*
Operi ſtupendo, cui *ſacrâ* poſuit manu
Fundamenta novo *benignus*
Carolides, manibuſque dedit conſurgere doctis.
Fervet opus; ſatagunt pariter juveneſque ſeneſque
Et *generoſa cohors* & *non ignobile* vulgus.
Hortatrix natura viris, ſeque ipſa videndam
Exhibet, & cunctis quæſitam ſedula terris
Materiam confert; jam ſydera——

XXIV.

Mens mihi quid reſtas? tibi nempe minatur amicus
Jamdudum *Icarium Venuſinus* in æquora lapſum.
Dum *cereis* audax vel *ignito* cupis
Vicina Soli *Pindarum* ſequi pennis.
Hoc ille *tutos* ſæculi vates ſui
Hoc monitos voluit *ſalvis* quibus eſſe licebat:
Nos *certum* manet exitium, nos undique
Expectat caſus ruituros.

Eli-

Eligere fatum liceat, *evitare* non licet:
Obſedere vias *latrones Grammaticaſtri*
Quotquot *frequentes* conterunt vatum greges.
Illic feroces *Critice Procruſteâ*
Heu docti nimium verſus torquere miſellos,
Nunc *tenſos* immane pedes producere gaudent,
Nunc *fauciatis* amputare ſyllabis,
Cum gemitu nequicquam *animam* ſenſu expirante:
At forte *ſervum* ſiquis exoſus *lutum*
Aliena *liber* abominetur veſtigia,
Impediunt vario turbatos objice *campos*,
Quos voluit latè *faciles* natura patere:
Sed ars moleſtas *ſibimet* objecit moras,
Sevitque ſpinas *ſponte fœcundas nimis.*
Has tranſilire geſtit, has perrumpere
Genuina naturæ filia
Pindaris offenſæ vindex *animoſa* parentis.
Has legis expers *impetu ruens vago*
Securior per avia, per invia pede curro *volante.*

Corb. Owen, ex Ædc Chriſti.

PIS-

PISCATIO.

AD

Reverendiſſimum in Chriſto Patrem GILBERTUM, *Archiepiſc.* Cantuarienſem.

HAmigeræ inſidias Artis, celataque parvo
Æra cibo canimus, quæ torto pendula filo
Aſtutus tremulâ Piſcator arundine jactat,
Donec ineſcatam calami curvamine prædam
Ducat, & in ſiccâ ſalientem exponat arenâ.
Alme fave, *Præſul*, vati, ſi forte vacabit
Ingentem ad noſtras animum demittere nugas.
Namque & Te, vani non ſemper nuncia, fama
Juſtitium quondam ſacrorum, indictaque Clero
Otia fluminibus narrat donâſſe propinquis.
Temporaque adgemuiſſe viris cum ſæva vetarent,
Solivagum juſtas ripis jactâſſe querelas,
Et gravia ad conſulta gregem admiſiſſe ſilentûm:
At nimis (heu!) juſtæ in ripis periere querelæ,
Et fruſtra conſulta gregi patuêre ſilenti.
Ah, quoties *Carolum*, *Carolum*, juncoſa ſonabant

Littora, dum liquidâ ſaliit tibi ſuber in undâ,
Prædaque ſuſpectos cautè deglutiit Hamos!
Ah quoties nullis tutò credenda tabellis,
Fluminibus mandata dabas, quæ noſceret Exul
Auguſtus, ſi quâ mundi regione latentem
Inveniant, ipſa Oceano dum miſta vagantur,
Spem reditûs ſolo contentum paſcere voto!
Felix O, (primos ſacrorum imitate magiſtros,)
Præluſit cui Canna Pedo; qui doctus utrumque
Æquali rexiſſe manu, ſucceſſibus æquis
In Cathedram notas Piſcanti adduxeris Artes!
Et nos, (aſſiduis cum laſſis fortè licebit
Officiis,) paucas calamo concedimus horas,
Auſonæ ad ripas; ubi Muſas voce cientes,
Te (venerande *Pater*) canimus, votiſque vocamus,
Et captare homines capto de Piſce docemur.
Poſcimus inde fidem dictis; veniámque rogamus,
Si varias inter populantûm flumina fraudes,
Quæ vati magè nota, magè eſt laudata voluptas.
Nam mihi, nec lento contextæ vimine naſſæ,
Introitu illectos facili remeare natantes
Quæ prohibent, Orcique aditus imitantur avari;
Nexave nodoſo cohibentia compede piſces
Lina placent: nimis iſta rudis craſſæque Minervæ
Solos

Solos arma juvent, quos Lutræ more paluſtris,
Dura fames adigit victum quæſiſſe rapinâ.
Nobis, quos nitido naſcentes Delius aſtro
Reſpexit, genitiſque ſuas ſimul indidit artes,
Ingenium quæſtu prius eſt; deceptáque præda
Direptâ potior: dapibus quin ipſa ſaporem
Captitiis doctæ præbet ſolertia dextræ.
Sic Phœbum, Truttâ quondam percáve voraci
Cænantem, memorare juvat, quos ipſa labores
Fecerit; & quantâ ſteterit victoria luctâ.
Quin vati ipſe ſuos celebranti carmine luſus,
Propterea haud invitus adeſt, & ſufficit ultrò
Cantanti numeros: & vos, Heliconia turba,
Veſtra datis facilem narranti gaudia verſum.
Namque & vos, ripis olim Permeſſidos undæ
Aonides, (Phœbo, ut referunt, comitante) ſorores,
Inflexas curvâſtis acus; calamóque reducto,
Ad cava captivum traxiſtis littora piſcem.
Primus at eximiæ ſterilis ſucceſſibus ortus
Artis erat; ſicut majorum ſemina rerum
Eſſe ſolent ſemper mediocria. Nec tamen ipſa
(Si faveat modo docta cohors) deſpecta ſagaci
Eruere è tenebris metuam primordia verſu.
Calliope ſtipata choro dum caſta ſororum

Fabellis ludiſque vacans, in littore opaco
Forte Aganippeas latè ſpatiatur ad undas,
(Quà procul à ſcatebrâ collectis fluctibus auctus
Volvitur, & lymphis ſabuloſas verſat arenas
Qui modò fons dictus, jam fluminis ambit honores;)
Certatim mutum fertur vidiſſe natantûm
Laſcivire gregem, & vermes captare minutos,
Siquos aut cæcis conclavibus egerit amnis,
Aut notus, aut pluvia, aut vis quælibet excutit Alnis.
Viderat: & "*Veſtrâ poteritis forſitan, inquit,*
"*Credulitate capi: non cautè examinat eſcas*
"*Eſuriens ſtomachus.* Mox vimen fronde ſalignum
Nudat, & eductam capitis velamine ſpinam
Curvat in effigiem reparantis cornua Lunæ;
Æraque dilectis dapibus fallacia velat.
Deinde (ſuis recolens olim periiſſe capillis
Cœlicolas, homineſque) "*Iſtis, ni fallimur*, addit,
"*Tertia debetur liquidi victoria regni.*
Dixerat: & ſummis depexas vertice torquet
Pectinis Exuvias digitis; virgæque ligatis
Extremæ, tandem celatum accommodat hamum:
Atque bolum nitidas lethalem mittit in undas.
Mira cano & ſolis forſan credenda Poëtis.
Nam, ſimul ac fluvio Muſæ maduere capilli,

Am-

Ambrosiis diffusa comis spiramina aduncam
Inficiunt spinam; medicatáque tingitur esca.
Protinus assultat patulo gens squamea rictu,
Ambitiosa capi: at præreptâ proximus offâ
Piscículus socios fraudat, potiturque rapinâ
Sollicitè, inque gulam fugiens deglutit hiantem.
Funestos sentit ducentem virgo triumphos,
Inflexúmque levi vimen cum verbere torquens,
Mox cæco rictus lætanti perforat ictu,
Inque virescentes protractum projicit herbas.
Præda minuta fuit (digiti mensura) sed illi
Picta latus lorica tegit: nam suave rubenti
Tingitur argentum minio, cui bractea sparsim
Mista coruscanti squamas interlinit auro.
Accurrunt: Artemque simul, Piscemque sorores
Mirantur, laudantque: pares dum Musa relictis
Instruit insidias, & eandem porrigit offam.
Fortè sed ut curvum plebis globus obsidet hamum,
Unus adest Procerum; cui turba amota ruenti
Terga dat, & fugiens intactas deserit escas.
Objectas vorat ille dapes, tenuique cruentus
Vulnere, porrectâ fontis sibi pondera pinnâ
Addit, & obnixus producto elabitur ære.
Ut vidit, (namque adfuerat) Latonia proles,

" *Parce,* ait, *imparibus certamen inaniter armis*
" *Protrahere ulteriùs, Dictæi nata Tonantis.*
" *Rem permitte mihi: nisi me mea carmina fallant,*
" *Faxo ego, ut ille breves agat, improbus ille, triumphos;*
Et calamo calamum ſolers immittit iniquum,
Ære extrema ligans, quâ ſe minor inſerit, ora;
Et lentum in ſummâ configit arundine vimen.
Penniger aſtiterat Sonipes: ſetaſque roganti
Præbuit: has docto verſatas pollice, Phœbus
Torquet, & inter ſe complexibus implicat arctis:
Funiculóſque breves tereti coaleſcere nodo
Cogit; & in ſummo fluitantem vimine nectit
Lineam, ut exæquet menſuram pendula Cannæ.
Dein netum appendit Chalybem, quem flumine & igni
Imbutum, & lentè rigidum, lunabat in orbem
Dimidium forceps, armabat acumine lima,
Extabátque tenax diffiſſo lingua metallo.
Mox funeſtum epulis mendacibus induit hamum,
Et juxtà adnectit terebrati pondera plumbi,
Merſus ut intactas ad fundum deferat eſcas.
Quáque ſalix ſummis porrecta ſupernatat undis,
Et denſâ latebras offundit piſcibus umbrâ;
Quáque ſubit rapido labefactum gurgite littus
Amnis, & in ſeſe refluus decircinat æquor;

Ob-

Obreptat pronus ripæ lapſuque ſilenti
Ex inclinato pendentem vimine oſellam
In liquidas demittit aquas: virgæque tremore
Verſatum, vivos imitatur reptile motus.
Securi fraudum, lethalia edulia captant
Amnigenæ; cupidóque petens ſua fata palato,
Imminet, & ſequitur merſum grex ſquameus hamum.
Delius, ut turmis obſeſſas percipit eſcas,
"*Siſtite, blanda cohors; perituris non opus iſto eſt*
"*Impete*, ait ridens; *hæc ſævæ fila ſorores*
"*Nêrunt, inque levi immitis latet Atropos offâ:*
Et ſimul objectos retrahit captantibus unco
Ære cibos; donec fugitivis acrius inſtans
Piſcis edax dapibus, chalybem ſimul abdidit ore.
O ſævam ventris rabiem! Sic deperit orbis
Queis perit; & Parca in conditâ quæritur eſcâ.
Nutat, & indicium ſinuamine præbet arundo;
Setáque multiplices deſcribit in æquore gyros,
Ut primum tectum deſcendit in ilia ferrum.
Nec mora: in obliquum detorto vimine, Phœbus
Falcato læſum configit acumine piſcem.
Ille, jecur ſævo violatum ut vulnere ſentit,
Mille dolos verſat. Nunc, toto pondere nixus,
Nunc recto, nunc obliquo, ſe gurgite librans;

Ancipiteſque ſimul ducens hinc, inde choreas,
Excutere abrupto conatur viſcere peſtem.
Sæpè cavos ripæ tentat penetrare receſſus,
Funiculúmque trucem contortæ interplicat ulvæ:
Sæpè petit fundum; de fundo ad ſumma repentè
(Ocius emiſſâ Parthi poſt terga ſagittâ,)
Surgit, deciduuſque gravat pendentia fila,
Et ſimul adductâ tentat diſcindere caudâ.
Scilicet ingentem vetat indignatio piſcem,
Tradere tantillis immania membra catenis!
Phœbus, ut ancipitis pendet fortuna palæſtræ,
Motibus intentus, ſimiles in pectore cudit
Ipſe dolos; varias ut deſtruat artibus artes.
Conantique fugam decies, decieſque retracto,
Nunc refricat crudum repetito verbere vulnus,
Nunc iram obſequio frangit, mulcetque furentem;
Et libertatem laxatâ oſtentat habenâ.
Mox, ubi permiſſis laſcivit in æquore gyris,
Plus æquo audacem veniâ, & nil tale timentem,
Adducto revocat loro, cogitque profundum
Permutare vadis, propiuſque aſſueſcere cœlo.
Utque emergenti decreſcunt pondera, tractim
Gurgite nunc prono, adverſo flumine nunc ductum
Aëriis ſuffocat aquis, dum (ventre gravato,

Utris

Utris more jacens ſummis reſupinus in undis,)
Pendet iners gracili tandem de vimine moles;
Inque cavam ſequitur nullo luctamine ripam.
Ipſe ſuam victor prædam miratur, & acri
Intuitu in patulâ monſtrum metitur arenâ,
Confoſſum ut trucibus quondam Pythona ſagittis.
Et fortè oblongus, cui fecit barbula nomen,
Mullus erat; quo non eſt piſcis cautior alter,
Aut cui majoris confixo gloria luctæ
Debetur: ſic ille dolis, ſic viribus urget
Piſcantem, exhauritque omnes verſatilis artes.
Succeſſu hoc, Latonigenæ conamina creſcunt,
Quæ ſibi fatidicus ſpondet fore proſpera vates.
Mox alias inviſit aquas; quas torquet Enipeus
Turgidus, Apidanuſque ſenex; & (notus amore
Antiquo) Peneus, ſævæ incunabula Daphnes:
Quaſque ſuus fundit Ladon; quaſque Ipſe, bubulcus
Amphryſi quondam lenes potaverat undas:
Et ripam ſignis decorat victricibus omnem,
Dum manet in quovis captorum cortice Imago
Sculpta, ſimulque ſuo cum cortice creſcit Imago.
Piſcellamque levem redeunti ſæpè gravabat
Tyroni acceptus capitatus Gobio luſus;
Et Rutili pariter molles, Apuæque fugaces;

Spi-

Spineaque objectans tractanti tergora Perca;
Atque levis ſummis volitans Alburnus in undis,
Lacceaque, incepto Gallos imitata feroci,
Sed primos cedens toleranti ignava furores;
Tuque (ſuem roſtro referens, quo glarea ab imo
Vertitur, unde pari nomen ſortiris ab uſu,)
Mole minor, guſtu qui vincis Porcule, Percam.
Sæpè Abramis, brevis in latum cui panditur alvus;
Carpaque turgidulâ cœnis gratiſſima linguâ;
Nec non Pactoli fulvo perfuſa metallo
Tinca, (Machaoniis morbos cui pellere ſuccis,
Vulneraque affrictu dederat ſanare ſalubri
Ipſe olim, & "*nulli vivas violata natantûm,*
"Dixerat, *ut noſtris accedas integra menſis;*)
Gratum humeros curvabat onus, neque cætera deerant
Præmia, quæ duro conſtantia miſta labori
Exigeret. Quoties te muſcâ imitata fefellit,
Trutta ſagax; quæ (multiplici variata colore,
Et rutilâ flavas diſtincta aſpergine coſtas)
Das duplices Epulas; oculis prius, inde Palato?
Te, quoque, cui rictus armant dumecta patentes,
Fluviorum Phalaris; cui natio tota natatrix
Præda fit, inque avidâ turmatim conditur alvo,
Prodidit objectus celato Gobius hamo.

Quin-

Quinetiam (audaci uſque adeò fortuna labori
Faverat) ingenti nonnunquam pondere preſſit
Salmo latus; qui præcipiti natat obvius amni,
Objectaſque ſuper moles, præruptaque ſaxa,
(Poſt capiti admotam celeri ſinuamine caudam)
Diducto ſeſe pernix jaculatur ab arcu.
Irrita ſin prorſus reddant conamina ſoles,
Immodicive imbres, vel utriſque inimicior Eurus;
Omnibus exercet virtutem Caſibus æquam,
Ipſaque in eximium cedit patientia fructum.
Hæc mihi, (dum tacitas *Auſonæ* ſolus ad undas
Obductum globulis jacto fallacibus hamum,
Pennigeram ſatagens calamo ſuſpendere plebem,
Et deſolatos indignor retibus amnes,
Rara quod accurrat projecto furfure præda,)
Ut tardo ingratas ſucceſſu falleret horas,
Tradidit ipſe Pater vatum: Citharáque recedens
Hoc pariter tactâ cecinit modulabile Carmen.

Nimis beatus Ille, qui tremulam manu
Arundinem ſcitâ regit:
Epuliſque gentes faſcinans aquatiles,
Ricta fugaces protrahit!
Huic læta puris corda turgent gaudiis,
Quæ nullus offuſcat dolor.

Aulæ

Aulæ palæſtram cautus ancipitem fugit,
Dubiamque honoris aleam.
Non ille avaris invidet pericula
Curaſque quèis conſtant opes.
Nec jurgioſi litibus miſtus fori,
Terit Advocati limina.
Nec æſtuoſum mercibus metuit mare,
Redituſque penſat flatibus.
Mulcet quietum lene murmur fluminis,
Dum bellicus tonat frăgor:
Seſeqùe mutos inter oblectat greges,
Cum perſtrepit rixis Domus.
Aurora vixdum conjugis liquit torum,
Suum impiger cum deſerit;
Cyathoque guttur lætus epoto lavans,
Et arma cinctus congrua,
Sudo, ſerenoque æthere, ingreditur viam,
Sereniori pectore.
Pedes deinde Thameſin, aut Trentam petens,
Ut Piſcibus ſtruat dolos,
Avium ſonoro pipilantûm gutture
Oblectat aures voculis:
Avidáque amœnos nare captat halitus,
Aurora quos Floræ rapit.

Simul

Simul & novali exercito ſalutifer
Hauritur exudans vapor,
Suſpenſa ſulcoſum arva calcat impari,
Pedibus Iambos metiens.
Laborioſæ ſemitæ interea moras
Gratis levat ſpectaculis.
Valleſque, monteſque, rigido & cacumine
Saxa aſpicit minantia:
Sylvaſque, fonteſque, viridique paſcuo
Pecora aſpicit vagantia.
Hinc, quaſſa currit bucula ad mulctralia,
Stillante nectar ubere:
Memorque blandis poſtulat mugitibus
Vicariam proli manum.
Et inde, inermi fronte molliculus ferit
Agnus parentis mammulam:
Simul & futuris, non ita innocentibus,
Præludit inſons præliis.
Ripas deinceps quas petebat, obtinens,
Setas adaptat vimini:
Chalybemque gratis veſtiens eduliis,
Unctum ſalivâ projicit.
Cicada ferrum ſtridula inſixum tegit,
Aut muſca bombis perſtrepens;

Suo-

Suoque limax lubricans ſucco vias;
Erucaque hortorum lues:
Coaguloque lactis imbutus cremor,
Similæque maſſa ſubrubens:
Hamoque rufus ſæpè vermiculus micat,
Facitque piſciculis famem
Hamoque pinguis ſæpè lendiculus nitet,
Et veſpæ inermis Embryo.
Cornuque pe raque, locupleſque calceus,
Subinde ſufficiunt dapes.
Hoc inchoatur more piſcanti Dies;
Sic occupatus Veſperi eſt.
Sibi ipſe turba eſt, ipſe convictor ſibi, &
Confabulator aſſidet,
Salientis uſque ſuberis motus notans,
Graſſantis oris indices.
Sin forſan unus adſit, aut alter comes;
Alterna jactant vimina,
Nec interim ſunt muta piſcatoribus,
Ut piſcibus commercia.
Nunc multiformis quam intuentur Machinæ
Laudatur Author unicus.
Nunc cantilenis mutuò innocentibus,
Lepidæ aſſuuntur fabulæ.

Procul

Procul at profanum lege colloquium fugant,
Regi, Deove injurium;
Nec dicta mutis iſta piſcibus putant
Quæ teſte cœlo jactitant.
Peruſta ſin ſudore membra diffluant,
Phaethonte Cancer dum rubet:
Aut imber ingens axe confracto ruat,
Aquaſque ſternat bullulis,
(Dum junceis anguilla de cubilibus
Expergefacta curſitat)
Umbra imminentis arboris ſtratos tegit,
Et canna Piſcatur jacens:
Spoliiſque opimis ſæpe tollentem gravans,
Otia rependit fœnore.
Declive tandem cum terit Phlegon jugum
Trahuntque noctem ſidera,
Piſcibus onuſtus Heſperus ducit domum,
Ubi præda menſas inſtruit;
Laſſata demum membra, poſt gratas dapes,
Inemptus occupat ſopor.

Simon. Ford, S. T. P.

CARMEN

CARMEN
DE
Sanguinis Circuitu,
A
GULIELMO HARVÆO *Anglo*,
Primum Invento.

MUſa mihi, cauſas memora, quo ferveat igne
Sanguis, quam rapido exundans torrente feratur;
Quid venam repleat; cur tenſa arteria pulſu
Perpetuo micet, alternis reſidenſque tumenſque;
Quidque intermiſſo præcordia verberet ictu.
Non hæc, docta licet, veterum cognoverat ætas;
Non hæc Phillyrides Chiron, non ipſe Machaon
Noh Amythaonides; non hæc pulcherrima vidit,
Quamvis diſciſſis cuncta indagaret in extis,
Abderitani cultor celeberrimus horti:
Nec tu, magne Senex, Coâ qui miſſus ab urbe,

Ut

Ut male ſuſpectos tua pelleret herba furores,
Riſiſti meritò inſani deliria vulgi.
Nec ſolers Phrygiis ortus Galenus in agris,
Quem cognata diu mirata eſt Roma medentem,
Grataque poſteritas omni venerabitur ævo:
Nec Cæſalpinus; nec tu, præclare Soavi,
Olim Phœbeas inter notiſſime turbas,
Quà Padus irriguos fœcundat gurgite campos,
Quáque Antenoreas Neptunus protegit arces,
Et circumfuſis tutas amplectitur undis:
Sed, quem felici lætata Britannia partu
Edidit, Harvæus, notum per ſecula nomen,
Harvæus monſtrator erat, primuſque latentes
Expediit cauſas, priſciſque incognita ſeclis
Eruit è tenebris, piceamque abſcedere nubem
Juſſit, & obſcuris accendit lumina rebus.
Hic etenim varios expendit ſedulus uſus
Membrorum, mentiſque aciem per ſingula mittit
Sollicitus, ſectiſque animantibus inſpicit omnes
Morborum tacitus ſedes; ſecumque requirit
Unde trahant lentæ renovata incendia Febres;
Et quo fonte, quibuſque exundet fluctibus Hydrops;
Quid maciem inducat; quid iniquo pondere ſplenem
Attollat; quæ vis faciat lapideſcere Renes:

Has ille atque alias moriendi mille figuras,
Veſtigatque animo, mortiſque pericula longè
Summovet, & medicas Parcis inſtantibus artes
Opponit prudens, atque omnia mente volutat;
Nec putat in membris vitalem hærere liquorem,
Tardaque per longos protendere ſtagna canales,
Sed ruere, & celeri circum vertigine ferri.

Convocat interea lectos in tecta ſodales,
Queis præclaræ artes, & ſacra Epidauria cordi:
Atque, ait, experiar mihi quæ comperta videntur;
Sintne ſatis perſpecta, & certis cognitæ ſignis;
An vanæ tantum ſpecies, & amabilis error
Me noſcendi avidum falsâ ſub imagine ludat.
Arreptumque Canem obtortâ cervice prehenſum
Tollit, & in mensâ reſupinum ponit; at ille
Arrectis horret villis, & brachia morſu
Appetit, & magnis ululatibus omnia complet;
Et pedibus pugnat. Sed nulli obſiſtere fatis
Fas eſt. Harvæus validis complexibus urget,
Atque infelicem, & luctantem plurima fruſtra,
Per mediam extendit tabulam; tum fune reductos
Innectitque pedes, & vincla tenacia ſtringit.
Cumque ita porrectus metuens, pavitanſque jaceret
Ille miſer, trepidans artus, & pectus anhelum;

Tum

Tum placidè aſpiciens vinctum, ſic ore profatur.

Non me, inquit, feritas animi, non dira libido
Crudelem facit, aut ſævi inclementia cordis:
Sed mihi mente imâ, totiſque recepta medullis
Laudis ſacra fames nolentem talia cogit
Moliri, & lenes abigit de pectore ſenſus.
Fert animus cæcas naturæ aperire latebras;
Occultas olim rerum perquirere cauſas;
Captivumque diù vinclis exolvere verum.
Certum eſt magna ſequi, & tectas, penituſque remotas
Explorare vias; quo flumine ſanguis agatur,
Quo duce liventem inficiat nova purpura venam.
Tu, quanquam infandos miſer experiare dolores,
Immeritamque feras pœnam, ſolamen habeto
Mortis, quod fato non ſis jugulatus iniquo;
Quòd neque diſruptus rabioſi dente Moloſſi
Occideris, nec te conſumat pigra ſenectus.
Nam neque, per foſſas, fœdamque ignobilis ulvam
Projiciere Canis, nec tabo membra liqueſcent;
Nec tu nocturnis raptus laniabere monſtris,
Nec putreſcentes corvus populabitur artus,
Sed ſi (quod fore confido) mihi docta Minerva
Riſerit indulgens, votiſque vocatus Apollo
Annuerit cœptis, nunquam tua fama peribit;

Sed quacunque mei pertinget gloria facti,
Tu quoque notus eris, totoque legeris in Orbe
Clarus, & æternum vives morituræ Lyciſca.

Talia narrabat ſurdo, dextraque coruſcos
Cultellos effert, gladiiſque micantibus inſtat.
Ut verò vulnus ſenſit fera, corpore toto
Contorquet ſeſe, & fremitu gravis intonat acri;
Et ſimul infrendet nudatos ſpumea rictus,
Dente, oculoque minax fruſtra; tremor ilia pulſat;
Exercetque ferox vanam ſine viribus iram.
Namque illum ſummo conantem inſurgere niſu
Intorti cohibent nodi, clavique trabales.

At Senior nullo turbatus murmure pergit,
Et rigidos enſes, & inexorabile ferrum
Perque leves tunicas, perque ultima viſcera ducit,
Intentuſque operi extremi penetralia Ventris
Pandit, & inciſas properans divellere carnes,
Illas hinc atque hinc manibus detrudit; & inde
Introrſum adnutans fumantia conſpicit exta.

Hîc Jecur immenſum vaſto ſe pondere jactat,
Et tumet, & Tyrium vincit ſplendore venenum;
Sic pulchrùm nitet, & nativo fulgurat Oſtro.
Hæc domus, ut fama eſt, tenerorum triſtis Amorum;
Hinc procul intentans ſævus ſua tela Cupido,

Mollia

Mollia languenti ſuccendit pectora flammâ.
Sive hîc vi magnâ, & multo percocta calore,
Immutata novum ſumunt alimenta ruborem:
Seu potiùs nimio ſanguis flagrantior æſtu,
Hîc fæcem nocuam, atque acri flavedine Bilem
Exuit ardentem, & latices deponit amaros.
Quod ſupereſt oleo, & molli pinguedine lentum
Et ſervat longos, faciles & concipit ignes.
Hinc autem contra, & diversâ in ſede recumbit
Splen, & mole minor, facieque obſcurus, & uſu.
Hunc levibus perhibent Pulmonem agitare cachinnis;
Aut ſuccum auſterum, atque humores colligit atros;
Aut eſcam ſubigit, ſtomachoque infundit acetum.
In medio jacet ingluvies, barathrumque macelli
Ventriculus, magni protenſus imagine ſacci.
Huic appenſa olidas circumſtringentia fæces,
Inteſtina hærent, varioſque inducta per orbes,
Multiplici gyro ſinuoſa volumina torquent.
Hæc membrana levis nexu complectitur arcto;
Perque illam niveas cernit prorepere fibras,
Quas primus doctâ detexit Aſellius arte;
Lactiferaſque vocat lactis de nomine venas.
Pancreas, & Renes, plura & miracula rerum
Tranſilit, aut ſtrictim, & feſtino lumine luſtrans,

Alta petit, vitæque arces inviſere geſtit.
Stat ſupra expanſum famâ memorabile Septum,
Altera carnoſo pars eſt circundata limbo,
Altera Pergameas imitatur lucida pelles;
Et per tranſverſas æquo libramine coſtas
Tenditur, atque imas ſuperis diſcriminat oris.
Incipit hinc primum hirſutus ſe attollere Thorax,
Molliter inflexus curvatæ more carinæ.
Hunc naturæ parens, venturi præſcia, firmo
Coſtarum vallo, & ſolido muniverat oſſe.
Hic etenim aſſiduo motu præcordia Pulmo
Ventilat, inque vices hauritque, & rejicit auras.
Hîc Cor quod reliquis voluit præcellere membris
Ipſe Pater, medium ſublimi in ſede locavit.
Sed neque ſummus honos, neq; propugnacula proſunt;
Ille cruentatas mergens in pectora palmas,
Omnia crudeli properat diſcindere ferro;
Irrumpitque aditus, laxataque clauſtra revellit.
Tum verò occultæ ſedes, vitæque receſſus
Oſtendunt ſeſe, & Cordis domus alta pateſcit.
Ipſum autem tenero affultum Pulmone ſuperbum,
Interiore cubat tecto, & penetralibus imis;
Vitaleſque omni diffundit corpore ſuccos.
Nunc penitus totâ intentis compagine nervis
Tal-

Tollitur, & ſtricto tumidum mucrone minatur,
Intentatque ictus; nunc fibris mollè ſolutis
Decidit, & ſubitò flacceſcens languida circum
Demittit latera, & cono procurrit acuto.
Nec mora, nec requies; rapido ſeſe ocyus Euro
Colligit, & motus ſervat, repetitque priores:
Atque iterum aſſurgens ſolidum denſatur in orbem;
Atque iterum in longum pendentia fila remittit.
Nam Natura ſagax pariter nobiſque feriſque
Mirâ arte in geminas diviſit Corda Cavernas;
Quæ modo turgentes ingeſto rore tumeſcunt,
Et mox emiſſo ſubſidunt ſanguine. Nempe
Non ſtabile, immotumque datum eſt mortalibus ægris;
Nec ſine continuo ducenda eſt vita labore;
Exoptata quies mors eſt. Cor mobile pulſu
Perpetuo quatitur, trepidatque: ex Corde ſuperno
Quatuor enatæ procurrunt ordine Venæ,
Hinc binæ, atque illinc; facies non omnibus una,
Non idem eſt habitus. Pars craſſo tegmine tuta
Albet, & incluſos occultat cauta liquores.
Pars tenues tunicas, pelleſque induta nitentes
Purpureum oſtentat laticem, livenſque fatetur
Internos minio nativo ardeſcere tractus.
Illas ſpiritibuſque tumens, & turgidus inflat,

Has leni placidus percurrit flumine ſanguis.
Verùm Corde omnes, & eodem fonte coortæ,
Grandeſcunt primùm, & fluvio majore feruntur;
Poſt autem anguſtos ſubitò tenuantur in amnes,
Inque canaliculos alioſque alioſque tributæ,
Decreſcunt ſenſim; filiſque extenſa minutis
Exta per, & carnes, atque omnia membra vagantur,
Vivificum cunctis afflantes artubus ignem.
Hæc aliis olim ſatis explorata relinquit.
Aſt ipſum interea cupidum nova cura fatigat;
Quis Cordis molem exagitet labor, unde calentes
Accipiat ſuccos, & quas extrudat in oras;
Quo fluat exundans per aperta foramina Sanguis,
Sanguis qui inducto venarum tegmine clauſus,
Ambiguos trahit anfractus, & fallit eundo.
Sic ubi lentus Arar tacito per pinguia repit
Culta gradu, lenique pererrat paſcua rivo,
Incertum eſt partes has, an labatur in illas:
Cum verò injectas accepit gurgite moles,
Et trabibus frænantur aquæ, vehementior exit,
Mutatuſque fremit, ſuperatoque aggere ſpumans
Sævit, & in Rhodanum violentas concitat undas.
Ergo placet tepidos amnes, curſumque ruentis
Sanguinis obſtruere, & nodo conſtringere Venas.

Sunt

Sunt geminæ ante alias inſignes mole, modoque;
Illam jure Cavam vocitat Romana juventus,
Hanc olim Graii dixerunt nomine Aortam.
Contiguis pariter labuntur fluctibus ambæ,
Et ſocios ambæ ſpargunt per corpora ramos.
Hanc *Harvæus*,& hanc oculiſque animoque remenſus,
Forte Cavam primò tenui complexus habenâ,
Amplum intercludit filo cohibente canalem,
Obſepitque vias. Atque hic, (mirabile viſu!)
Qui propior Cordi ſanguis dilabitur ultrò
Cordis in Auriculam, depletaque ſanguine Vena
Concidit, & vacuas jungit ſine flumine ripas.
Qui verò excelsâ Vitæ diſtabat ab arce
Longiùs, aſtricto præcluſus ſtamine, cœptum
Siſtit iter, magnoque attollit Vaſa tumore:
Diſtentas tunicas, & clauſtra obſtantia pulſat,
Implicitos nequicquam ardens perrumpere nexus.
Poſtquam hæc *Harvæus* ſolerti mente notârat,
Ipſe manu nodos, & vincula linea ſolvit.
Tum ſubitò emiſſus per mota repagula ſanguis,
In patulas Cordis cellas, & tecta refertur.
Hæc ubi viſa ſeni, multumque expenſa ſagaci;
Arripit ingentem, vincloque innectit Aortam.
Omnia nunc diverſa videt, nunc altera ſurgit

Naturæ

Naturæ facies. Nam quà longiſſima Vena
Perplexos ultra nodos porrecta jacebat,
Mollior elapſo flacceſcit ſanguine; ſed quà
Interius ſpectat, Cordi conjuncta ſiniſtro,
Dura riget, ſuccoque ſuperveniente tumeſcit.
Allabenſque liquor, ſpatiis concluſus iniquis,
Æſtuat introrſum, vitalemque ampliat orbem,
Et propè diſrupti intendit retinacula Cordis.
His etiam rite expenſis, ſimul omnia circum
Laxat vincla Senex; magno ſimul impete ſanguis
Emicat, & prono decurrit concitus amne:
Corque vices peragit, renovatque arteria pulſum,
Quantum efferre valent moribundi languida membra.
Harvæus, qui cuncta animo ſecurus obibat,
Conſtitit attonito ſimilis, paulumque moratus,
His tandem charos dictis affatur amicos.
Vos quibus alma ſalus curæ eſt, qui ſacra medentûm
Pocula miſcetis; quorumque potentibus herbis
Fata retardantur, miſerumque extenditur ævum;
Accipite hæc animis, memoreſque recondite veſtris;
Et veras demum vitæ cognoſcite cauſas.
Diſſimiles venæ varios formantur in uſus;
Hæ primùm acceptos pleno de Corde liquores
Carnibus inſtillant, & toto corpore miſcent;

Re-

Regreſſos illæ in Cordis penetrale refundunt.
Principiò ſanguis fonte eluctatus ab uno,
Conjungit vires, & magno flumine fertur;
Poſt autem in rivos ſcindit ſeſe uſque minores.
Tunc iter obſcurum ingrediens, cæcoſque meatus,
Exiles Venarum apices, & parvula lentus
Vaſa ſubit majora petens; & ſemper eundo
Auctior, immenſus redit in præcordia torrens.
Nam velut irrigui fontes, fluviique minores
In Thameſin leni deducunt murmure lymphas;
Ille novo fluctu, & lato ſpatioſior alveo,
Creſcentes undas ſinuoſo in Nerea tractu
Promovet, ingentique impellit flumine Pontum.
Haud aliter ſummo rediens è corpore ſanguis
In tenues primùm Venas, parvoſque canales
Inſinuat ſeſe; ſubito majora redundans
Vaſa petit; tandem collectos undique rivos
Inque Cavam cogit, ripiſque coërcet eiſdem.
Illa gravis tumet, & refluo diſtenta liquore
Partem oneris ponit, Cordiſque eructat in oras.
Quod ſimulac ſenſit venientis pondera ſucci,
Tenditur, & rigidum, & maſsâ majore gravatum
Omnibus inſurgit fibris, multaque potens vi
Sanguineum amplexans laticem conſtringit; at ille

Quà

Quà data porta ruit: Pulmonem protinus omnem
Proluit, & tetrum exhalans de pectore fumum,
Ætheriâ nimium fervorem decutit aurâ;
Atque inſpirato vitales aëre flammas
Suſcitat, & raptim cœleſti accenditur igne.
Tum nitor effœto redit, & nova gloria Succo.
Jamque ſinum Cordis lævum fulgentior intrat;
Atque inde in vaſtam magnâ vi pulſus Aortam
Proſilit, illa ictu diſtenditur, & ſimul omnes
Expanſi toto ſubſultant corpore rami.
Sanguinis hoc iter eſt, atque hæc via regia vitæ:
Perpetuis agitur gyris membra omnia circum;
Atque iterum in Venas, iterumque in Corda recurrit;
Itque, reditque viam, celerique reciprocus æſtu,
In ſua converſus veſtigia volvitur amnis,
Atque indefeſſum peragit circumfluus orbem.
Hunc motum, hos curſus innexa, ſolutaque Vena
Monſtrat, & extantes diversâ in parte tumores.
Non etenim inſtabili fertur pede mobilis humor;
Ut levis Euripus dubiâ revolubilis undâ:
Sed certis ſemper gradibus pergitque, reditque.
Nam qui perluto veniunt è corpore ſucci,
Promptior his in Cor lapſus, via tuta pateſcit:
Sed refluis validum oppoſuit Natura Tridentem,

Et

Et ternâ clauſas munivit cuſpide portas.
Quique è compreſſo pelluntur Corde liquores,
Exitus his facilis datur, at remeantibus obſtant
Clauſtra, & Lunatæ ſtantes in limine Valvæ.
Verum hæc ipſe equidem modicis concluſa libellis
Expediam; atque alias rationes inſuper addam;
Cur Medicus leni conſtringens brachia nexu,
Cum gravis accenſas populatur flamma medullas,
Inferiùs venam ſecet, & quà proxima Carpo eſt:
Quid faciat nodos varicoſo in poplite; quidque
Sanguinis impediat ſubitum per prona relapſum;
Pluraque purpurei laticis monſtrantia curſus.
Tum genitale arvum, & vitæ primordia pandam;
Ut genus humanum, pecudeſque, & cærula monſtra,
Cuncta ovo exorta, & Puncto ſaliente creata.
Nec noſtram effugient, quantumvis parvula, curam,
Quæ miranda magis, ſubtili texuit arte
Natura, & primùm adductis prorepere fibris
Juſſit, mox pictis volitare per aera pennis.
Forſitan hæc etiam, non multum ingrata, docebo;
Ni mea crudelis compilet ſcrinia miles.
Nam mihi neſcio quid lævi mens ægra minatur;
Arma procul video, & fulgentes ære catervas.
Quæ rabies animi, quæ tanta inſania Cives

Per-

Perculit ingratos; atque in fera prælia raptat
Felices nimium, Carolo regnante, Britannos?
Hei mihi! quas clades, & quos inimica tumultus
Fata parant? cerno ſtagnantes ſanguine campos,
Cognataſque acies alternâ cæde rubentes.
Quid ſibi vult Styge prorepens Conſeſſus ab imâ;
Diraque regali perfuſa cruore bipennis?
Ante precor mors atra graves mihi condat ocellos,
Quam videam illius caſus, lacrymaſque diei.
Eheu! quam variis jactabitur Anglia fatis!
Principiò in miſeram immanis dominabitur Hydra:
Sed ferus obſcœnum Serpens caput exerit Orco,
Terrificos ſpargens oculis flammantibus ignes,
Oraque ſanguineis turpatus lurida guttis;
Inque ipſam ruit ille Hydram; & de ſede ſuprema
Dejicit, & rurſus tenebroſa in Tartara mittit.
Mox aliam ipſe Hydram nocte, & pallentibus umbris
Evocat; hanc ſubito, nec opino vulnere mactat;
Atque indignatus Stygias detrudit ad undas,
Sibila tentantem fruſtrà, & capita ægra plicantem.
Tum ſpoliis Divûm, ſolioque ſuperbit eburno:
Et tria ſquamigero Sceptra impius arripit ore.
Jamque novo lætus regno, rebuſque ſecundis
Exultat, vacuaque furens bacchatur in Aulâ.

Co-

Cogitur hic etiam infernas tranſnare plaudes.
Tum latebras triſtes, atque horrida tecta relinquens,
Erepit graciliſque, pigerque, & frigidus Anguis;
Sed ſolo armorum Sonitu tremefactus inani,
In deſerta fugit, cæcoque reconditur antro.
Extemplò fœdis horreſcunt omnia Monſtris;
Qualia nec vaſtis ſitiens alit Africa campis,
Nec varius falſo paſcit ſub gurgite Proteus.
Harpyaſque, Hydraſque truces, veraſque Chimæras,
Ignotaſque olim ſpecies fœcunda miniſtrant
Tartara, nocte atrâ, & denſâ caligine tectas;
Luctantes ſecum, atque in mutua tela ruentes.
O Pater! O Feſſis tandem ſucurre Britannis!
Et tot preſſa malis, tantiſque attrita ruinis
Anglia duret adhuc; atque omni functa periclo,
Excelſum nitidis iterum caput inſerat Aſtris.
Neſcio quis gelidâ inſolitus mihi fulgor ab Arcto
Exoritur, dubioque illuſtrat lumine terras.
Rareſcunt tenebræ, victæque Aquilone ſereno
Diffugiunt nubes; latum Sol igneus orbem
Attollit, totoque abſcedunt æthere nimbi.
Monſtra novis radiis, ſubitaque exterrita luce
Horrendas ſedes, & Tartara nota reviſunt;
Præcipitique fugâ in patrium referuntur Avernum.

For-

Fortunata Dies! quibus exornare triumphis!
Quos miſeris tandem plauſus! quæ gaudia portas!
Delitiæ Angliacæ gentis, Regumque propago
Carolus alter adeſt, ſceptriſque potitur avitis.
Stant gemini circum Fratres, Ille aureus alter
Gratanti ingreditur ſimilis; triſtiſſima nubes
Alterius caput obſcurâ ferrugine cingit.
Regale ambo latus ſtipant: Hic pergit in Urbem
Clamores inter lætos, & vota ſuorum.
Hunc ſequitur Pax alma, & pleno Copia cornu,
Et pietas, & priſca fides, & gloria rerum,
Quæ neglecta diù, pedibuſque obtrita jacebat
Relligio, antiquum ſumit rediviva nitorem,
Cœleſtique iterum affulget placidiſſima vultu.
Quid non efficiat tanti præſentia Regis?
Illius auſpiciis doctorum illuſtre Virorum
Concilium accitur; totoque ex Orbe frequentes
Conveniunt, iiſdem ſuccenſi pectora curis.
Quiſque ſuum pulchrâ caput obvincire coronâ
Ardet, & audaci palmam decerpere dextrâ.
Namq; animum exacuit favor; & ſub Principe creſcit
Laudis amor, ſtudiiſque accenditur æmula virtus.
Neve inimicitiæ tali in certamine. Sed quis?
Ille quis eſt claro Divorum ſanguine cretus,

Quem

Quem ſcriptis, factiſque, admirandiſque repertis
Inſignem, nobis mittit glacialis Ierne?
O quanta! & quæ turba Virum comitatur euntem!
Cumque ipſo parili geſtit procedere greſſu:
Omnes ingenio præſtantes, artibus omnes!
Non tot Cumæo folia abripiuntur ab antro;
Atque abrepta levi volitant ludibria vento:
Non tot Cecropiæ, depaſtis floribus Hyblæ,
Autumno glómerantur apes, cum rauca reſultant
Æra, & cæruleus reſonat tinnitibus æther.
Neve illi tenues, dubiaque ab origine Formas,
Argutaſque ſecant nugas; ſed pondera rerum
Solliciti tractant, verique cupidine tacti
Singula pertentant; certatim nobile ſemper
Fervet opus; magnoque evolvunt cuncta labore.
Quicquid in immenſi jactatur limite Mundi;
Quicquid Pontus habet, quicquid ſpirabilis aër;
Quicquid Terra parens ſummove in cortice geſtat,
Aut imis occultat inexplorata cavernis;
Nil illi præcluſum, intentatumve relinquunt;
Omnia rimantur. Felici indagine multa
Inveniunt; aliiſque inveſtigata refingunt
In melius. Quæcunque olim ter maximus Hermes
Tentavit, quoties caluit Memphitica fornax;

Quæque Syracuſio deſcripta in pulvere Vati,
Barbarus immiti abrupit Problemata ferro;
Quæque ignarus adhuc cauſarum, viſcera vidit,
Dum fruſtra inverſis extis inhiabat Aruſpex,
Venturam exquirens ſortem, mentemque Deorum:
Illi quotidiè verſant, animoque manuque
Omnia ſcrutantes; illis Natura recluſas
Pandit opes, neque ſe nebulis obſcura recondit.
Illi concretas moles, & corpora dura
Igne domant, ſubitoque ſua in primordia ſolvunt.
Et Lunæ, Soliſque viam, & labentia cœlo
Sidera deſcribunt radio, & quibus Orbibus errant
Terribili horrendùm rutilantes crine Cometæ.
Serpentes atros, Piſces, genus omne Ferarum
Arte ſecant ſummâ, & ſpirantia membra revolvunt;
Fibrillas omnes, & vaſa minutula quærunt.
Atque illis noſtrum ſi fors ſuperare laborem
Contigerit, mihi jucundum eſt, & amabile vinci.
Conſcia mens recti ſibi gaudet; ſplendida nunquam
Facta premit, minimumque alienis invidet auſis.
Hos fama ad ſuperos fulgentibus evehat alis;
Nos quoque poſteritas aliquo ſignabit honore,
Qui primi Cordis certâ rate findimus æquor,
Ignotoſque olim vitæ tranavimus amnes.

Talia

Talia fatidico Senior de pectore fundit.
Interea diris Animal cruciatibus ægrum,
Immanes patitur secto Thorace dolores.
Cor tamen ad solitum accingit sese usque laborem,
Et validis primùm, & crebris micat ictibus; at mox
Segniùs, & raro respondet verbere; Pulsu
Ancipiti tremit, atque incertâ fluctuat undâ;
Tum fatis victum cadit, immotumque quiescit.
Ferreus abscondit morientia lumina somnus,
Horrentesque rigent artus, calor ossa relinquit.
Harveides animo pervolvens cuncta, Canemque
Exanimem spectans; Quo te, inquit, fata tulerunt?
O mihi si raptum in lucem revocare liceret,
Et fugientem animam gelidis infundere membris!
Sed prohibent Parcæ, & nullo jam carmine Manes
Flectendi: vel si tantum medicamina possent;
At me iræ superùm terrent, & Apolline natus
Fulmineo extinctus jactu. Quid nunc tibi tandem
Pro merito egregio, & vitæ pro munere reddam?
Nec tu defunctus planctu lætabere inani;
Nec tua solabor pretioso fata sepulchro.
Ista levem Culicem vano splendore coronent,
Quem brevis ingrati pastoris sustulit ira;
Formicamve vagam, quam incautam succina gutta

Implicuit, pinguique revinctam rore peremit.
Major honos tibi debetur, tibi gloria major.
Namque tui generis Procyon, & Sirius ardens,
Inque domos Superûm, & ſtellantia tecta recepti:
Quin tu etiam ætherias conſcendas tertius arces.
Tu quoque cœleſtes inter numerabere flammas;
Sublimique procul radians fulgebis in Axe.
Neve Canis veſtro in cœlis formoſior Aſtro
Ullus erit, non qui rabioſo ſidere toſtos
Urit agros, non qui Leporis veſtigia latrat.
Nam neque lethalem in terras jaculaberis ignem,
Inducens hominum generi morboſque, famemque;
Nec ſata, nec pecudes inſano fervidus æſtu
Extingues: ſed læta tuo, & flaventia culta,
Atque ſalutiferas herbarum lumine vires
Augebis, floreſque in prata virentia ſparges.
Ignibus innocuis, & amicâ lampade mundum
Luſtrabis, medicaſque, haud nunc inglorius, artes
Æternâ, placidaque nitens moderabere flammâ.
Hæc ubi dicta; omnes, ſua quiſque in tecta, recedunt,
Harvæi famam, ac laudes ſuper aſtra ferentes.

Rob. Grovius, A. M. Cantab.

Curſus

Curſus NOVI FORI.

QUO me clientem, Muſa, rapis tuum?
Aut quas ad oras ludicra neſcium,
Monteſque percurrens & urbes
Aërio vehis alta curru?

II.

Fallor, vel alto penſilis aëre
Molem propinquam nubibus arduis,
Urbemque devotam Tonanti
Intueor, rutilaſque turres.

III.

Fallor, ſuperbi vel juga turgida,
Et ſaxa cœlo conſpicor æmula,
Rupeſque præruptas Olympi
Et patuli ſpatia ampla dorſi.

IV.

Quis clamor urget? quis ſonus advolans
Obtundit aures, & properantium
Immiſcet hinnitus equorum,
Murmuribus ſtrepituque turbæ?

V.

Quæ ſcena vaſto panditur æquore?
Gaudetque longo debilis otio
Delecta per campos Juventus
Herculeos renovare ludos?

VI.

Ecquis ſuperbo cingitur agmine
Altuſve curru fertur in aureo?
Quem totus excepit tumultus
Lætitiâ properoque plauſu?

VII.

Rurſúſne currum Chromius occupat
Auriga celſus, loráque concutit,
Metamque devitare cautus
Per medium ruit ales æquor?

VIII.

O ſi reverſus Pindarus afforet,
Paulùm relictis Elyſii plagis,
Hic grande conamen, paremque
Materiem reperiret arti!

IX.

Hic ſiſte curſum, Muſa, nec utere
Laxis habenis: Nil melius videt
Vel Phœbus Eoas relinquens

Heſpe-

Hesperiasve aditurus undas.

X.

Sic fatus hæsi, Musaque protinus
Immota fixas continuit rotas,
Et molle subridens amicas
Purpureo dedit ore voces;

XI.

Non celsa spectas oppida Græciæ
Lateve notam conspicis Elida,
Solenne nec festum Tonantis
Nec patuli scopulos Olympi.

XII.

Sed læta faustæ regna Britanniæ,
Atque auspicatas aspicis insulas,
Murosque sublimes & arva
Neiofori, fluviumque *Chami*;

XIII.

Nullis secundus qui fluit amnibus,
Ni cedat almæ fluctibus Isidis
Torrente quæ sacras Camœnis
Oxonii lavat amne ripas.

XIV.

Quin surge tandem versibus & vagis
Describe miram quadrupedum fugam;

Nec ſegnis exora Camœnas;
Materies creat illa vatem.

XV.

Sublimis alto Pegaſus aëre
Fecit poëtas; dum levis avolat,
Vel ſolus agnovit Caballus
Pierios aperire fontes.

XVI.

Vix Muſa preſſo conticuit ſono,
Volvo per agros lumina ſedulus,
Et munus exolvo receptum
Obſequio properans fideli.

XVII.

En! ut ſuperbos agmen Equeſtrium
Tentat caballos, impatiens moræ,
Luctæque præludens futuræ
Fræna quatit manibus remiſſa.

XVIII.

Jam rauca primo Tympana murmure
Paſſim vagantes quadrupedes vocant;
Clangore jam ſuadent ſecundo
Præcipiti celerare curſu.

XIX.

Certamen æquum tres ineunt pares

Et lora ſolvunt, protinus avolant
Omnes & effuſi feruntur
Carcere corripiuntque campum.

XX.

Nunc ille nunc hic prævenit æmulus,
Nec certa parti ſors favet alteri,
Arrecta ſed laudum cupido
Ancipitem facit æqua curſum.

XXI.

Stat fixa longè meta celetibus
Altâ reverſus ramus ab ilice,
Umbramque diffundens amœnam
Et viridi placidus colore

XXII.

Invitat omnes: huc pede fervido
Tendit Caballus, huc oculos eques
Advertit intentos, equumque
Urget adhuc ſtimulis anhelum.

XXIII.

Talis ſereno dum nitet æthere
Arctos perito cognita navitæ
Spectatur immotè, ratemque
Auſpiciis regit una certis.

XXIV.

Jam Diva tandem lubrica deſtitit
Mutare partes; impiger æmulos
Præceſſit indefeſſus alter
Quadrupedes tenuitque metam.

XXV.

Cur non Olivam crinibus applicat
Pro more victor? Quis nova præmia
Indixit, Alcide, tuaſque
Auſus erat temerare leges?

XXVI.

Dixi, nec ultra Muſa ſilentio
Vocem repreſſit, protinus inſcium
Affatur arridens & infit
Ambroſiis Dea pulchra labris.

XXVII.

Qui jura ſanxit quid vetat editas
Mutare leges? Is nova præmia
Aſſignat Autor, qui Britannos
Imperio regit unus æquo.

XXVIII.

Qui tot triumphos vincere Chromii
Poſſit vel uno; dum properantium
Attentus immenſos labores

Laude

Laude vehit pretioque ſignat.

XXIX.

Cernis benigni munera principis,
Cernis metalli pocula divitis,
Cælata mirandis figuris
Et nitidis pretioſa gemmis?

XXX.

Hæc ſunt olivam quæ ſuperant tuam;
Quæ donat ipſo non minor Hercule;
Qui ducit à cœlo decuſque
Et ſobolem genitore Divo.

Honoratiſſ. *Leopoldus Wilhelm. Finch,*
ex Æde Chriſti.

In Adventum REGIS
OXON. 1681.

QUalis Gigantum viribus æmulis
Infensus olim Jupiter edidit
Regale decretum, Deosque
Æthereâ glomeravit aulâ.

II.

Huc te citatum, Bacche pater, tuæ
Vexere tigres passibus impigris,
Excussâ nequicquam coactæ
Indocili juga ferre collo.

III.

Huc tendit atro pulvere sordidus
Mavors, caballis raptus ab igneis,
Dextrâque fatali cruentam
Gestat adhuc metuendus hastam.

IV.

Huc Phœbus axem torquet eburneum
Passuque claudo Mulciber & pater
Saturnus, accitisque tandem

Numinibus, volat ales Hermes.

V.

Talem Senatum Præſide *Carolo*
Miratur Iſis; dum celeri ruens
Torrente, dilectas Camænis
Oxonii lavat amne ripas.

VI.

Miratur omnes hic ſimul ordines
Quas auſpicatæ terra Britanniæ
A fæce diſtinguit profanâ
Et titulo potiore ſignat.

VII.

Huc egit, æquo fœdere, publicum
Diſcrimen omnes; dum ſtudet arduam
Regni laborantis ſalutem
Egregius ſtabilire cœtus.

VIII.

O! Si ſecundo numine cederent
Privata cauſis commoda publicis,
Totuſque certatim Senatus,
Conſiliis ageretur æquis!

IX.

Immotus artes *Carolus* hoſtium
Vanaſque tutus deſpiceret minas;

Et pacis & belli bilances
Arbitrio regeret fideli.

X.

Non civium ardor prava jubentium,
Non falsa rupto fœdere Gallia,
Non Papa securam molestus
Rumperet insidiis quietem.

XI.

Sed fausta talem sumeret Anglia,
Qualem, Monarchâ lætior Advenâ
Pompaque regali, renidens
Induerat *Rhedycina* vultum.

XII.

Quæ jam recepti conscia Principis
Cœlo superbum tollere verticem,
Celsoque sublimis triumpho
Finitimis dare jura terris

XIII.

Regina cœpit: viderat æmulas
Certare Turres, quæ magis Aurea
Fulgeret, atque augustiore
Exciperet dominum apparatu.

XIV.

Se vincit & jam clarior emicat

Moles

Moles ſcholarum nobilis; auſpice
Fundata quæ quondam *Jacobo*
Læta ſinu recipit *Stuartum.*

XV.

Aſt inter omnes altior eminet
Quæ deſtinatur conſiliis patrum,
Dum pompa conventûs ſuperbam
Luce novâ decoravit aulam.

XVI.

Vagos planetas vidit, & ætheris
Hîc olim inertes Aſtronomus vices,
Et ſurda nequicquam peritâ
Sidera ſollicitavit arte.

XVII.

Jam fata regni verius explicat
Bellique cauſas, myſtica *Carolus*
Arcana fatorum reſolvit
Et ſapiens dominatur aſtris.

XVIII.

Ille, ut ſuperbo Jupiter agmine
Cinctus Deorum, ſæpius Iſidis
Inviſit undas & fluenta
Jam Thameſis potiora lymphis.

Juxta-

XIX.

Juxtaque noſtri clarior emicat
Juno Tonantis; quam Venus aurea
Longuſque Muſarum triumphus
Et Charitum comitatur ordo.

XX.

Quocunque tendunt induitur novam
Natura formam, Floraque paſcuo
Miratur agreſti virentes
Sponte ſuos properare fœtus.

XXI.

Vel tecta quiddam majus & amplius
Mutata præſtant; Hic quaſi *Carolus*
Palatium præſens creaſſet
Artificis ſuperans labores.

XXII.

Talem recepto Numine viderat
Baucis Tabernam; dum ſtupuit novo
Splendore perfuſas Columnas
Et rutilo nitidas metallo.

Honoratiſſ. *Geo. Compton*,
ex Æde Chriſti.

Maurus

MAURUS *Advena.*

POrtenta *Mauri* barbara climatis
Mendax vetuſtas narret & augeat,
Quà monſtra fœcundans aduſtam,
Phœbe pater, generas arenam.

II.

Fingat colubros, corpore ſquallido
Vaſtoque rictu, fingat & incolas,
Geſtuque ferales & ore,
Atque ſuæ nova monſtra terræ.

III.

Indocta falli Nos melius docet
Verique cultrix Experientia;
Quæ novit Errorum receſſus
Et veteres aperire fraudes.

IV.

Longum ferocis ſenſerat *Africæ*
Tingis furorem; totaque bellico
Obſeſſa portas apparatu
Par geminis ſtetit una regnis.

V.

Vis inde, virtus hinc prior, arduum
Rivalis iræ diſtulit exitum;
Dum *Maurus* occiſam cohortem
Angligenûm, legione penſat.

VI.

At quæ peremptum longa *Trelaunium*
Tacebit ætas? qui Decio parem
Sortitus in bello ruinam
Morte ſuâ ſtabilivit urbem.

VII.

Hæc ut ſuperbi *Maurus* in arcibus
Audit Palatî; Fruſtra (ait ingemens)
Cum Gente certamus Britannâ,
Illa meos moriendo vincit.

VIII.

Nil Marte agendum; fœdera ſanciam
Pacemque pangam; munera certiùs
Præſtabit & partes amici
Quiſquis agit metuendus hoſtem.

IX.

Legatus altæ per proceres notæ,
Ipſique regi ſanguine proximus,
Suſcepit oblatos honores,

Magna

Magnâ Equitum comitante pompâ.

X.

Ut primum ad oras appulit Angliæ
Pacis miniſter, confluit undique
Vulgi mirantis tumultus,
Et potior procerum Corona.

XI.

Mirantur illi non ſolito modo
Hærere veſtes; nudaque brachia,
Arcumque pendentem & pharetram
Præpetibus gravidam ſagittis.

XII.

Os hi verendum membraque nexibus
Compacta firmis, lumina fervidis
Armata ſcintillis, in agmen
Omne ſuas jaculata flammas.

XIII.

Talis cruento pulvere ſordidus
Mavors, caballis concitus igneis,
Bellumque feralemque clademem
Threiciis meditatur agris.

XIV.

Quid ſi peruſtâ natus in Africâ
Vicina ſolis paſſus & oſcula

Subfuſcus evadat, Deique
Ore nigras imitetur umbras?

XV.

Aſt Hinc latentis plenior ingeni
Et perſpicacis vis animæ fluit,
Dum magna ſublimes furores
Mens agitat propiore Phœbo.

XVI.

Quin & ſagittas auſpice Delio,
Tractare miris noverat artibus;
Viciſſe vel Phœbum putares
Atque Dei ſubiiſſe partes.

XVII.

At quis regendi Quadrupedes Deus
Indulſit artem? cernis Equi jugo
Ut hæret immotus, remittens
Lora, Supervacuumque frænum?

XVIII.

Fallor, vel olim per Lybicos agros
Venatus, artem Te docuit ſuam
Miroque donavit Caballo
Quadrupedum domitor Gradivus.

XIX.

Talis ſuorum celſus in agmine

Fertur ſuperbo fœderis Arbiter,
Liteſque componens fideli
Implicuit duo regna nodo.

XX.

At quem ſecundum conſpicor? altius
Turbam inter omnem ſplendet Apoſtata,
Quem Muſa dicendum peroſa
Ægra filet, reſugitque luctu.

Honoratiſſ. *H. Mordant*,
ex Æde Chriſti.

In Obitum Illuſtriſſimi Principis HENRICI, *R.* JACOBI I. *Filii natu maximi.*

FLemus opes Britonum fractas, triſteſque cadentis
Henrici cineres, & lamentabile fatum.
Tu modò, quicquid adhuc de tanto funere reſtas,
Fortunata anima, atque ingentis nominis umbra,
Reſpice Sydereis è ſedibus, & cape luctus,
Quos tibi nunc tumuloque tuo, pia turba, frequentes
Mittimus, & meritos cineri libamus honores.
Verùm ô, quis tantos fando æquiparare dolores,
Quiſve tua infælix poterit lamenta referre
Anglia? ſic te olim, meritò auguſtiſſime Princeps,
Amiſſum te, *Edvarde*, tuoſque, *Arthure*, ſupremos
Deflevit manes, ſic in tua funera, *Eliza*,
Ivit, fracta animo, atque ingenti ſquallida luctu.
Tuque etiam miſeranda parique accenſa dolore
Scotia turbaris, gemebundo & pectore clamas,
Anglia redde mihi, non ſic tibi credita, redde
Pignora: nos humilem in terram dejecta ferentes
Lùmina, nil contra: taciti ſimul agmina tantùm

Mi-

Miſcentes, ſocias lacrymas, ſociaſque querelas
Jungimus, & miſti clamorem ad ſydera latè
Tollimus ingentem: miſeris tu teſtis utriſque
Tu, Tueda, Arctoos inter celeberrime fluctus,
Tueda, Caledonios qui noſtris dividis agros.
Ipſe etiam obſcuris multum gemuiſſe ſub antris
Diceris, ac imis clamârunt Naiades undis,
Orcades atque extremis montibus exululârunt.
O dolor! O virtus! oculis quis flumina noſtris,
Quiſve dabit capiti fontes? Te, *Henrice*, peremptum,
Te flemus, te triſte caput: Te, *Henrice*, vel ipſi
Romæ, vel duris miſerandum funus Iberis.
Te, Princeps, caſumque tuum mox Indus uterque
Accipiet, Libycique, & inhoſpita pectora, Parthi:
Accipient: lacrymiſque inſuetis ora rigantes,
Clamabunt, O digne Puer, cui longior ætas,
Cui cœlum, & ſeries fatorum mitior eſſet.
Non te expirantem Nymphæ ſpectare, nec ipſi
Te Satyri potuere, aut, ruſtica numina, Fauni:
Aſpicis, ut fugiunt Nymphæ per luſtra ferarum
Obſcura, ignotaſque vias, deſertaque, ſylvæ
Non illis fiunt, non illis flumina curæ.
Thameſis ipſe diu mediis exterritus undis
Reſtitit infœlix, & ne quid tale videret,

Avertit cupidè fluctus, atque edidit imis
Flebile murmur aquis: ſonuerunt flebile ripæ.
Illum ſolantur non centum in flumine cygni,
Quos vel candori dices certare nivali:
Non illum centum, quæ toto in littore ſurgunt
Sydereæ turres, cœloque minantia tecta.
Tantum algas inter mœrens, ac denſa ſalicta,
Luget, & in lacrymas metuens ne flumina fortè
Deficerent, revocat curſum, oblituſque tributi
Rariùs Oceanum repetit, fluctuſque rependit.
At vos, qui Ætonæ colitis campoſque virentes,
Frondenteſque ſimul ſylvas, fœlicia rura,
Dicite (vos & amant Muſæ, & vos carmina nôſtis)
Dicite (vicino nam veſtros alluit agros
Flumine) quos crebrò gemitus dabat inclytus amnis,
Edidit infœlix quæ tunc lamenta ſub undis.
Interea, Britonum terras quæcunque rigatis
Flumina fœlici tractu, huc advertite curſus,
Huc agite ô fluctus, veſtris famulataque lymphis
Ne tanti pudeat partem vos eſſe doloris.
Nec tibi Tueda tuas nimium ſit linquere ripas
Ac infœlices nobis ſociare querelas:
Sic tua ne poſthàc infeſtent littora Phocæ,
Sicque peregrinos creſcens bibat alveus amnes!

Et

Et tu, Chame pater, cui doctæ ſemper ad undas
Mille canunt Muſæ liquidas, ac mille Camenæ,
Hîc aderis, ferosque unà comitabere ritus.
Sic tibi nec limus poſthàc nec inutilis alga
Officiant, facilis ſic fiat curſus, arenâ
Sicque viam ſternant Nymphæ, & candente lapillo!
Ipſe tibi Oceanus, Princeps, meditatur honores
Neptunuſque pater, tibi quicquid maxima latè
Æquora numen habent: trepidant per cærula regna,
Perque domos liquidas, tibi dona extrema, ferentes
Nereides, Nereuſque parens: centum undiq; Nymphæ
Addunt ſe comites, & lata per æquora flores
Spargunt, clamoremque unà cum murmure triſti
Attollunt: reſonant clamantibus æquora Nymphis.
Heu miſerande puer, ſi quando fata dediſſent,
Firmata ut virtus juſto tibi creſceret ævo,
Et Britonum regeres patriis virtutibus urbes:
Quæ tua narraret tum ingentia facta ſtupeſcens
Poſteritas, ſeris venturaque tempora ſæclis?
En ultrò cedit tibi Gallia, fracta vel ipſo
Nominis auſpicio, en ultrò devictus Iberus
Munera fert, ultróque tuis famulatur habenis!
Vidimus ah quoties jam, te domitore, patentem
Fervere equo campum, atq; ipſum glomerare ſuperbos

Nunc

Nunc pedibus greſſus, nunc altas ſurgere in auras!
Vidimus ah quoties prenſantem fortitèr haſtam,
Quaſſantemque manu, & jam nunc adverſa ferentem
Pectora pectoribus, trepidis te aſſueſcere rebus,
Imbibere & teneris etiam nunc bella ſub annis?
Vidimus: & quantum ſperavimus affore rebus
Te noſtris decus, & quanta hæc aſſurgere regna
Talibus auſpiciis & tanto munere divûm?
Aſt ô nequicquam nobis indulſimus olim
Fœlices divos, fœlicia ſydera! fata
Obſtant, ne tantiſque foret nimis Anglica donis
Terra potens; te nunc (Princeps digniſſime, quondam
Spes Patris, patriæque decus, communis utriſque
Nunc dolor) eripuit nobis, & merſit acerbo
Funere nigra dies, atque illætabilis hora.
Implevit poſtquam noſtras jàm nuntius aures
Infœlix, ac fama fuit tibi, maxime Princeps,
Ingruere, & teneros artus depaſcere morbum:
Quos pro te ſuperos in vota vocavimus omnes?
Quas pro te donis omnes cumulavimus aras?
At fruſtra heu, ſuperos in vota vocavimus omnes,
Et fruſtra donis omnes cumulavimus aras.
Ergone te æternus pallor, durique perennis
Invadet lethi ſopor, & cinis ater habebit?

Dii ſuperi, manes, & quicquid numinis uſquam eſt,
Infandum prohibete nefas! ſic ire ſub umbras
Inviſas finitis, cui veſtri ſemper honores,
Cui pietas, & amor ſemper juſtique bonique
Curæ erat, & quiſquam jam veſtra (ignoſcite divi)
Numina, vel ſtultè veſtras colat irritus aras?
Tuque etiam, ô dux Aſtrorum, nitidiſſime Phœbe,
Phœbe, decus cœli, qui terras lampade luſtras,
Aſpicis hoc? & adhuc rutilis caput ignibus ardens
Axe moves, nec dum viduatæ lumine terræ
Nunc Phaëthonteas iterùm metuere tenebras?
Quàm mihi nunc ſuperos & fata laceſſere & acri
Inſanire libet verſu! ſed carmina curat
Nec mea jam ſuperûm quiſquam, nec inania vota.
Ergo dies, qui te quondam diſcrimine tanto
Expediit, te nunc infœlix auferet idem?
Heu miſer, heu tantis nequicquam erepte periclis!
Heu fruſtra vitata priùs tua, perfide *Guido*,
Dextera, ſulphureique doli, tormentaque cæca!
Et tamen hoc melius, cedentem lenitèr auris
Exhalare animam, placidæque occumbere morti:
Quàm ſi perjuræ vel te vis impia dextræ
Tolleret, occultæve artes, aut triſte venenum.
Hoc ſolum, hoc tanti caſus ſolamen habemus,

Im-

Impia quòd de te extincto non Roma triumphet,
Infiduſque ſuas non jactet proditor artes.
Ipſe Deus dedit hanc animam tibi, & undique donis
Ditavit tantis, ipſe & deponere rurſus
Hanc animam juſſit, poſitam placidoque recepit
Ipſe ſinu. En ultro ſummi tibi limen Olympi
Panditur, occurrunt divi, veterumque frequentèr
Fœlices animæ, mirantur pectora, ſuaves
Mirantur vultus: ultro procedit *Eliza*
Agnoſcenſque ſuum, pulchrâ tibi Nectara dextrâ
Porrigit, ipſa novoſque tibi prælibat honores.
Hinc tu fortaſſe ad noſtros jam lumina tractus
Convertens, omnes certantes undique cernes
Inque tuos ritus properantes, donaque, triſtes
Heu quæ extrema damus, tumulo & quas mittimus omnes
Inferias, lacrymas, &, inania munera, verſus.
Cernes: & (ſuperi ſi forſan talia curant)
Accipies placidè, & ſtudiis lætabere tantis.

Hen. Wicham, Coll. Regal. Cantab.

In Obitum Auguſtiſſimi & Deſideratiſſimi Regis CAROLI II.

Dii, quibus imperium terræ, quorum omine certo
Mortales regimur; (quibus indulſiſtis habenas
Si cognatorum vos tangant funera regum,)
Dicite Cœlicolæ, cur nullum crine minaci
Exarſit ſidus? cur nondum conſcius æther
Iracunda Deorum armamentaria pandit
Portenta, implevitque atro cœlum omne tumultu?
Sacrilegi en nuper præceps inſania morbi
Debacchata, ſacrum *Caroli* caput, impete terris
Fulmineo eripuit; perque omnes pallida vultus
Mortis imago ſuos agit imperioſa triumphos.
Non ſic Cæſareos tacuerunt ſydera caſus,
Sed mugire ſolum, ſed per cava ſerpere murmur,
Complerique armis cœlum minitantibus augur
Attonitus ſtupuit; quanquam nec Julius aſtris
Carior, aut graviori ereptus turbine lethi.
Primus ubi in *Carolum* morbi gravis irruit æſtus;
Intremuere artus, venturum dextera fatum
Horruerat, magicumque exuſſit pectora frigus:

Tum

Tum cito torpor iners, cæcæque oblivia noctis
Invadunt cerebrum, piceâ caligine ſenſus
Obducunt, gelidoque oculos ſudore natantes
Neſcio quid denſâ paſſim circumvolat umbrâ:
Mens oppreſſa labat, gyroque fatiſcit inani,
Et conſanguineo lethi jacet obruta ſomno.
At pius interea frater cervice cadentem
Excipit, inque ſinu dilectum pignus amoris
Nequicquam amplectens, iterumque iterumque vocato
Ingemit, & lacrymas inter ſic vocibus inſtat:
Quo fronti divinus honos, & flammeus ardor
Luminibus periit? quo torvi gratia vultûs?
Certe haud talis eras cum fœlix Anglia Regem
Spectabat reducem, cum te per læta viarum
Strata incedentem fuſæ cinxere coronæ.
Vix talem vidit, tibi cum fidiſſima quercus
Latas denſa comas, & multo vimine opacos
Intertexta ſinus, ſacrâ caput occulit umbrâ.
Qui tibi jam caſus? quæ cauſa indigna trementes
Infecit vultus, corpuſque exangue reſolvit?
Dic mihi, nam memini primæ olim flore juventæ
Cum tua, quà rueres, proſterneret haſta rebellem
Præcipitemque immani agitaret turbine plebem.
Te memini qualem fœlix victoria vidit,
Et

Et lætum ſpoliis, & multo pulvere onuſtum.
Fare ergo, obteſtor per fratris amabile nomen,
Per populi gemitus, per cæſi vulnera Patris.
Ille graves oculos, audito nomine patris,
Paulatim attollit, corpuſque acclive cubili
Erigit; & longo vix tandem tempore fatur:
Quis mihi delicias fugat, atque errantibus aufert
Gaudia mille oculis? nuper mihi dulcis imago
Exemit curis animum, invaſitque ſolutum
Sacra quies, longo juſſit ſuper æthera tractu
Aſtra ſequi, dederatque animam diffundere cœlis:
Aërias late valles, campoſque patentes
Fas mihi metiri, præſentiaque ora tueri
Majorum, patriſque ſacros agnoſcere vultus.
Illi cœruleus ſupra caput emicat ignis,
Flagranteſque nitor crines, & tempora circum
Ardeſcit; rutilo dum vultus ſydere fulget
Immortale jubar ſpargens, & lucida tela.
Ergo fata vocant, me ſors æterna fatetur
Numinibus deberi, atque annumerarier aſtris.
Te modo pacatum (noſtri, Germane, labores)
Te manet imperium, lætoque Britannia plauſu
Augurium ſpondet, ſedatoque orbe triumphos.
Dixit, & interea novus inſpiraſſe videtur

Mem-

Membra vigor, dubiuſque ſalutis fluctuat æſtus;
Sæpe fugam ſimulat morbus, refluuntque viciſſim
Atque abeunt pariter vires. Sic cum ultima lampas
Jam moriens alimenta trahit, jubar illa coruſcum
Luce novâ vibrat, geminatoque igne refulget.
Jamque valeſcenti ruit inclementiâ morbi,
Nox iterum gravis, atque oculos ſtupor urget inertes,
Exitiumque ferens, & ineluctabile fatum.
Qualis ubi armato ſtipatus milite victor
Obſeſſos urget cives; ſi forte repulſam
Indignans patitur, cito præceps machina turrim
Nutantem premit, & per ſummas volvitur arces
Tempeſtas flammarum, atque igneus ingruit imber.
Haud aliter pergit furor increbreſcere morbi,
Præcipitatque moras, horrendaque prælia miſcet;
Difficiles animam lites, rapidæque procellæ
Vivacem elidunt; ſuperas ſimul illa per auras
Tendit, & ætheriæ victrix latè imperat arci.
Surſum abit, atque altè gradiens ſuper aſtra volenti
Hinc atque hinc populo *Carolus* dat jura; *Jacobus*
Succedit terris, Anglorumque intonat orbi,
Unica ſpes patriæ, carum caput, & Stuartûm
Relliquiæ ingentes, ac dilectiſſima fratris
Pignora.

Talis

Talis Ledæos quondam concordia Fratres,
Talis amor docuit (timidis ſanctiſſima nautis
Nomina) perque vices regnare, æternaque ſanxit
Fœdera, & alterni fatum inviolabile ſceptri.

Joh. Whitfeld, A. B.
Coll. Merton.

GULIELMUS TERTIUS.

NYmpha modis pollens Numerorum, & Diva trophæis
Heroum comes aſſueta, & victricibus armis!
O Virgo Thymbræa! tuo ſi munere frondet
Laurea, Cæſareoſque æternat palma triumphos:
Eia age ſertorum ſpoliis redimita, labores
Aggredere Auriacos; age qualis prima futuram
Spes famam promiſit: adulto fœnore meſſis
Quam crevit fœcunda: ut ſceptra Britannica tradunt
Patreſque, Procereſque, & non ignobile vulgus.
Naſſovæ ſoboli patrios avulſit honores
Ingratus Belga, & naſcentem in vertice laurum.
Senſerat hoc Juvenis, tacituſque in corde volutat
Non ſibi, ſed Batavis metuens: ſubit ægra laborum
Belgia, & antiquæ vitanda opprobria ſortis;
Alvæ dira libido, jugumque immite Philippi.
Tum vero immortalis honos, monumentaque famæ
Auriacæ mentem accendunt; Fredericus in armis
Siſtit ſe coram, exuviis & pulvere campi

Læ-

Lætus, ſanguineus: qualis cum ſterneret ultor
Spinòlam, tardoſque ageret violentus Iberos.
Inde pares ſtimuli, nec degener ira nepoti
Ardeſcit corda inſpirans; ſimulachraque fingit
Martia, venturas miſcens ſub imagine pugnas.
Jam furit impatiens, atque illi conſcius æſtus
Conceptique ignes gliſcunt ſub pectore, magni
Argumenta animi: primis nam Heroa ſub annis
Jupiter excudens, pleno latice imbuit hauſtum
Æthereum, atque potenti indulſit munera flammâ.
Pellaci contra fremit aſtu, & ſibila jactat
Devittana domus, dubiique incendia motûs.
Hinc fractas labi vires, & Belgica fata
Retrò inclinare, inverſamque evolvier urnam.
Arva premit Lodoicus, inexorabile ferrum
Cum ſenibus matres rapit, & circùm oſcula fœtus.
Quis tamen, ô Gradive Pater, ruet obvius hoſti
Graſſanti? ô veteres, ubi jam fiducia, Belgæ,
Naſſovæ ſemper genti debenda, ruentûm
Præſidiis regnorum, & tutelaribus armis?
Illo pene die cecidiſti Hollandia; vindex
Sed prohibet Gulielmus, & armis fervidus inſtat,
Indignanſque arcet Gallos: fortuna ſecundum
Pandit iter famæ, & ſceptri præludia ſancit.

Quis tibi Martis amor Batavûm fortiſſime? quales
Primitiæ armorum, juvenique incanduit ardor?
Teſtor Ameronæ ſilvas, lentoque fluentem
Gallorum tabo Utrecam, gravidaſque paludes.
Exundâſſe iterum graviori flumine viſa eſt
Belgia, Neptunuſque cruento horreſcere campo.
Quid rurſum Naſſovus aperto Marte laceſſit
Gallorum turmas? nuſquam illi cominus hoſtis
Adverſari audet. Duraſſius impiger alveum
Nunc Moſæ medium, pavidus nunc tranat Aderam:
Mox redit inter rura, & cæco calle ſequentem,
Hærentemque fugit. Stricto ſic enſe viator
Infeſtum vicis, atque implacabile Monſtrum
Latronem urget: at ille ruit per devia ſaxa,
Perque lacus, dumoſque, & eodem ſubdolus orbe,
Acta refert veſtigia; donec noctis amica
Aut favet umbra, aut fidæ obſcura ſilentia ſilvæ.
Sed juxta Alphenam dum ſævis Galle, nivales
Et foſſas ſuper, atque adſtrictas frigore moles;
Nequicquam ſolitos moliris lubricus aſtus
Artificemque fugam. Alatâ diſtantia glande
Terga premit Gulielmus, agitque volatile plumbum.
Tum vero glacies vaſtâ ſub mole ruentûm
Et gremium labefacta, & multo evicta cruore
Laxa-

Laxatur, patulâque gemit divulsa ruinâ.
Gallos singultantes, dicere multa volentes
Unda trahit refluens circùm; & quibus ira pepercit
Martia, corripit ulta, avidoque involvit hiatu.
Tum mane aspiceres (frigentibus undique stagnis)
Corruptamque nivem, & fœdum misto aggere frigus;
Arma aliena humeris concreta, atque ense minacem
Ignoto dextram: videas sparsum inde cerebrum
Et putrem saniem sticto canescere fluctu.
Arctâ aliis rursum compage, & robore firmo
Ossa gelu annectit: medio huic sub gutture collum
Intercluſit hyems, & fluctus pendula subter
Membra lavat, vincta sque caput supereminet undas,
Turpe & torvum inhians, manco ceu marmore vultus
Squallent Cæsarei; sulcis frons horrida, ruptæ
Fauces, arrectæque rigenti in vertice setæ.

Quin tu Nassovæ proles verissima gentis,
Henricûm soboles, & Adolphi sanguinis hæres,
Abstineas bellis victor: satis imbre cruento
Floresçit Laurus, satis ô tua tempora circùm
Sudorque, & fumus commisto pulvere, fœdant
Impubesque genas, dubiam & lanuginis umbram.
Cinge comas hederâ, tibi nunc Hollandus avitos
Submittit fasces, immortalesque secures.

Nil ultra Lodoicus agit, nisi furta, rapinasque
Et pretio spolia empta, inhonesti opprobria belli.
Sed luit ingentes pœnas, & damna rependit
Condeius: densas illi intra castra phalanges
Huc aggressus, & huc Gulielme impellis, & ipsum
Arduus evertis repetito turbine, septum
Silvarum latebris, magna & post valla latentem
Nequicquam: imbellis Gallo deferbuit æstus
Et cessit brevis ira. Velut cum pastor opaco
Aut saltu videt, aut exeso in pumice vulpem;
Cuspide proruit indignantem, & dira rudentem
Instigans: multo prorepit saucius ictu
Et plagâ stimulante hostis fugit; atra cruoris
Signa fluunt, memorique rubescit semita tractu.
Haud secus occulto serpit Condeius ab antro
Et pariter confusæ acies. Sabia undique tabo
Arva tument, nemus & congesta cadavera sternunt
Vicinum: messe insolitâ vineta laborant,
Atque immaturum vestit nova purpura Bacchum.
Ergo jam pacem Lodoice, & jura coactus
Arcta petis, sanctâque adstrictum compede fœdus,
Sed quid vincla subis, si te caligine circùm
Indutum eripiet, tenui subtilis amictu
Aut dolus; aut robur ruptis immane catenis?

Ecqua

Ecqua fides Gallo, dum fraudem Ignatia pubes
Vipeream inſpirat, magicumque impune venenum?
O Batavis ſimul inviſa, atque infeſta Britannis
Progenies! fœcunda malorum! præſtet apertum
Seu ſcelus ante aras manifeſto & numine coram
Moliri, aut ſceleri fucatam intexere nubem.
Ut patria, ut veſtris exarſerat Anglia flammis!
Extremumque minata diem, quo conſcia motu,
Ingemuit, quales ſenſit tremefacta labores!
Quam veſtris actus furiis Jacobus, avita
Amiſit ſedes, atque intractabile Sceptrum!
Sic viſum eſt; quanquam ô, niſi mens averſa fuiſſet
Conſiliis Divum, non jam diademate nudam
Canitiem deploràſſet, triſtemque ſenectam:
Nec toties vagus, inque exhauſta pericula miſſus
Fatorum imperiis, iterum peregrina petiſſet
Arva lubens exul. Quin parce ingrata querelis,
Parce Erato: vetuit ſua Roma, atque impete cæco
Detorſit titubantem: ignota per avia juſſit
In præceps ruere, atque obliquo tramite labi.
Quas olim ſortita vices, quam mœſta tuorum
Albion Annalium ſeries, & ſertilis ordo!
Te rapiunt curæ rurſum, & ludibria caſûs
Ingrati; quin tu cœlis abſiſte timendo

Indubitare: eadem vigilant tibi rebus in aſperis
Cœlorumque fides, ſuperumque æterna poteſtas.
Quam bene protexit Batavis ſua jura, & Iberum
Servitium detrectantes defendit Eliſa
Auguriis magnis, & non incauta futuri.
Siqua valet juncta affinis vicinia regni,
Si Batavos fortuna, & eâdem temperat Anglos
Lance, urgetque pari ſocias diſcrimine terras:
Diva attolle caput; jam te non longa manebunt
Tædia, nec tantos patieris inulta dolores.
En tibi non vanum tutamen, milite cinctus
Auriacus! fervet miſtum clamoribus æquor;
Adventum teſtata Dei, cava littora circùm
Clamores iterant, & læti murmura vulgi.
Fama minax latè increbreſcit; & ingruit horror
Prævius armorum: turpes formidine cedunt
Iræ atque inſidiæ; longo fugit intervallo
Ignatî pecus, & ſtupidi, fœdum agmen, Hyberni.
Salve invicte Heros, ô tempeſtate cruentâ
Spes nequaquam averſa! ô non indignus avorum!
Nuſquam impar, nec tarda ſalus! ſeu Belgia ſupplex
Præſentem, ſeu te cognata Britannia poſcat.
Tu vero Angliadum lux, & certiſſima Divum
Progenies Gulielme, potens ſuccurrere ſeclo,

Ob.

O bonitique audax! quas par defendere terras
Solus es, imperiis moderare, æternaque jura
Hinc, inde exerce: Tibi Diva Britannia ſpondet
Se dotem; auguſtas tradit de vertice turres,
Et frameæ decus, & ſceptri inviolabile pignus.
Talis ubi ad duras religatæ Brachia cautes
Andromedæ, manicas, indignaque vincula Perſeus
Exuerat: tutelæ nubit, & ipſa pericli
Fit virgo Munus; capit immortalia dona
Lætatus Victor, pretioque amplexus inhæret.

Quiſquis ades Zeuxis, ſuccum molire potentem,
Et pompas Gulielmi, & feſtas ordine ſcenas
Incipe, ſolennemque argutus pande triumphum.
Arte vagus primâ ludat color Amphitriten,
Inſtabileſque undas: tum ſupra fluctuet ingens
Dorſa premens Batavûm claſſis. Sub pondere Nereus
Spumat, & attonitum natat inter cœrula vulgus,
Nereides, Tritones, & Inous Melicertes.
Creſcentes Auſtri vires, pelagique tumultum
Palanteſque rates latè, mortemque propinquam
Siſtit Nube cavâ invectus Pater: æquora circùm
Strata quies; pronæque volant ad littora Naves.

Haud procul hinc radio flagrante, & luce coruſcâ
Inſignis, lætos inter, Naſſove, Britannos

Im-

Imperiis Assurgis: eodem effulgeat arcu
Vincta Maria caput, similesque in vertice flammæ
Ardescant: ambo capiant gratissima Divum
Dona simul, populique preces; par flumine Nardus
Irroret crines errans; æqualia utrisque
Sceptra fluant auro, fluat auro purpura Vestis.
Sis Memor ô, calamisque cave, dum viva tabellis
Ora Mariæ audes, divinam & fronte Juventam:
Ut graditur Diva! ut gradienti gloria surgit!
Ne spirans nitor absit, & impar langueat umbra.
Quis jubar intemeratum oculorum, & lucida pinget
Tela, igneisque genarum, & non imitabile fulgur?
En niveum decus! En pharetras arcusque potentes,
Alma Venus, Paphiique armamentaria regni!
Sic ubi Threiciis Virgo Latonia telis
Armata, Idalios saltus, aut Mænala lustrat
Venatrix: latè demissi gratia crinis
Luxuriat, nec dum sociæ colla ardua tangunt.
Jam vastâ Heroas doctus variare figurâ,
Nassovam gentem, & primæ incunabula famæ
Ordire: hinc fervens densa inter tela Philippus
Cumque suo Henrico frater Lodoicus inundent,
O quam Borbonio dispar! tabulâ inde capaci
Incedant Gulielmi, Othones, & Engilberti,

Divi,

Divi, Semideique.
Exere quin artem, & labor indefeſſus Adolphum
Hinc atque hinc deſcribat, Adolphum jura volenti
Germano dantem: Meritorum gloria faſces
Romanos illi indulſit; metuendaque Thraci
Virtus, Cæſareis adſcripſit nomina faſtis:
Illum admiranti ſimilem, ſimilemque frementi
Exprime: lætorum turbâ comitante nepotum
Uſque tuens oculis Gulielmum, haſtâ indice monſtret
Protenſâ: cognata fremunt ſimul agmina plauſu,
Et blandis ſupra plaudit victoria Pennis.
Parte aliâ emergat Virgo rediviva, pudorem
Flamma genas ſuffuſa, & caſtos afflet honores,
Pulchra, modeſta: illi æthereum ſacra tempora lumen
Accenditque dies æterna, & ſpirat amorem
Purum illibatumque: decoras aurea ſtringit
Vitta comas, nectuntque verendæ inſignia Mitræ.
Illa humeris innixa manum, cervice recumbit
Auriacâ acclinis, cœleſtiaque oſcula miſcet.
Immani ſubter reſupinam extende ruinâ
Ignatî ſobolem, vano molimine ſurſum
Murmura dira, iraſque vomentem, atque atra venena.

Nempe

Nempe premit vindicta, & pronam ferreus urget
A tergo nodus, rigidæque ex ære catenæ:
Tum bufo obscænus, serpentum & squamea proles
Ilia per fibrasque vagatur, & ubera lambens
Depasta; at Furiæ luctanti & colla tumenti
Insultant, Stygioque informis Cerberus ore.

Si videas, Zeuxis, quas jam matura revolvent
Fata vices Gallis; Lodoicum pinge ruentem,
Sceptra caduca, labans diadema à vertice, Lauruſque
Arentes: glauco exultas velatus amictu
Rhene Pater, laxis attollens corpora vinclis.

Quanquam etenim Angliadis ignavus pectora torpor
Infecit, nimiæque ingloria tædia pacis.
Tu tamen ô Britonum spes! ô Gulielme labantis
Imperii Stator! cœpto ne parce labori,
Gallica castra inter sopitum excude vigorem
Angliaci pubi, atque sepultas elice flammas.
Jam video, hastati revirescit fama Britanni,
En robur vetus, Henrici & vestigia regni!
Henricus Patriæ vindex, Parisinaque terror
Mœnia circùm, & adhuc Lodoico inamabile nomen.
Saturno sic Rege putris ferrugine tellus,
Atque inculta situ cœpit squallescere; dumisque

Et

Et ſcabie rugoſa. Ut vero Jupiter arcem
Aſcendit, venère artes, ſua cura colonum
Exercet frugum inventrix, mox lucidus armis
Floreſcit miles: metuunt mortalia corda
Ultorem Jovis ignem, & inevitabile fulmen.

Jo. Whitfeld, A. M.
Coll. Merton. Soc.

CARMEN

CARMEN PASTORALE,
In Obitum Auguſtiſſ. Regis CAROLI II.

Thyrſis, Melibœus, & Daphnis, Interlocutores.

Thyr. QUid dulci, Melibœe, ſedes tam triſtis in umbrâ?
Hic alios vultus poſcit locus, omnia circùm
Lætitiam invitant, & amœnâ fronte renident.
Sed quo, Paſtor, oves, quo migravere capellæ?
Forſan in ignotis illæ jam montibus errant,
Atque inſueta graves jam tentant pabula fœtas,
Dum tu hîc ſuſpiras, & flendo dividis horas.

Mel. Nôſti olim inſomnes curas duroſque labores,
Thyrſi, meos, nôſti pecoris quòd amantior alter
Non erat, Arcadiæ coleret qui rura colonus.
Sed me, Thyrſi, gregis fuerat quæ cura, reliquit.

Thyr. Quid non ſuadet amor? quid non patiuntur amantes?
En Melibœus oves, teneros en negligit hœdos.
Sic mihi, (nam memini) cùm me Galatea teneret,
Non ruris, non urbis amor, nec cura peculi.
Pendeat ah ſacrâ, dixi, mea fiſtula pinu.

Nam

Nam mihi nec cantus, nec erat mihi fistula cordi.
Tantum inter densas corylos silvasque latebam,
Turturis & mœstis augebam voce querelas.

Mel. Non, ut rere, meis amor hæret, Thyrsi, medullis,
Muneribus vici, nec me jam spernit Alexis.
Nec si sprevisset, jam ejus fastidia curem.
Me propior jam cura tenet, majora revolvo.
Pan Deus Arcadiæ, Divûm leniissimus unus,
Pan qui curat oves, ipsos oviumque magistros,
Pan Deus occubuit; per rura graviissimus ibat
Rumor, & Arcadicos defecit vita colonos.
Monstrat & ista meos arbos inciſa dolores
Quam cernis, crescentque mei cum cortice luctus.

Thyr. Quid narras, Melibœe, Deum Pana isse sub umbras,
Quem fato immunem, Diisque immortalibus æquum
Spes erat, & cujus tam sæpe litavimus aris?
Mira refers: sed habent similes præsagia casus.
Est quercus nostræ impendet quæ plurima silvæ
Arbos procera, & firmis radicibus hærens,
Una nemus, patulos distendens undique ramos,
Quæ regina solet nemoris princepsque vocari;
Huc dum lascivæ tondent arbusta capellæ,

Sole

Sole ſub æſtivo paſtor ſe ferre ſolebat,
Hic canere, hic latâ frigus captare ſub umbrâ.
Hanc ego mane meas ducens ad paſcua capras,
Cum placidum ventis ſtaret nemus, omine lævo
De cœlo tactam vidi procumbere quercum.
Attonitæ Dryades ſubitam doluere ruinam.
Non longè abductus Philomelam dulce canentem
Turturis in murmur cantum mutare notabam:
Obſtupui, & ſumptâ lætum modulatus avena
Neſcio quid, miros tento depellere queſtus.
Illa tenore ſuo mœrori indulget eodem,
Nec gemere aëreâ quicquam ceſſabat ab ulmo.

Mel. Quid vero hæc memoras? Senſit natura cadentem
Pana, & ſolliciti viſa eſt dare ſigna doloris.
Languit omnis ager, paſtuſque oblita ſub ipſo
Gramine, flevit ovis, nec non flevere leones
Immaneſque urſi, Pani infeſtiſſima turba.
Fleverunt Nymphæ, fleverunt maxima Divum
Numina, quæ magni Panis delubra frequentant.
Flevit & ipſa Echo, fleverunt Arcades omnes,
Atque Deos atque aſtra vocant crudelia mœſti.

Thyr. Et meritò. Divos inter leniſſimus ille
Eminuit, ſemper bonus & cultoribus æquus,

Totus

Totus amor, totus pax & clementia totus,
Quique habuit cunctos, si demas fata, faventes.
Servabat Pan rura, lupos arcebat ovili:
Defenditque altas cedros, humilesque myricas.
Pan faciles dedit æstates brumasque benignas,
Pastoresque ovibus ditavit & ubere glebâ.
Plangite pastores, sit multi pompa doloris,
Spargite humum foliis, procedat flebilis ordo
Arcadicæ pubis, planctus nemus omne pererret:
Divinus meruit fieri sibi talia Pastor.

Daph. Sed quid opus vano tantum indulgere dolori?
Num totum letho absorptum Pana esse putatis?
Vivit, & insuetum limen miratur olympi
Mistus cœlicolis, unde hæc sua rura benignus
Prospectat, nostro jam fletu & carmine major.
Vidi ego (nam liceat vobis mea visa referre)
Stellarum hesternos quum luna accenderat ignes,
Extemplo magnum cœlorum albescere tractum,
Mirabar, cœli facies quæ mira pararet.
Quum subito æthereas volitantem Pana per auras
Vidimus, insignem radiis & luce coruscum.
Ibat ovans, magnâ Divum stipante coronâ,
Pana omnes cecinere, triumpho inclaruit æther.

Mel. Sint rata visa precor. Sed quo jam rura patrono

Gaudebunt? noſtrum quo præſide ſtabit ovile?

Daph. Ne metuas. Uno ablato non deficit alter
Aureus, & ſimili gaudebunt rura patrono.
Divinum Pana hunc ſequitur non degener hæres,
Qui paſtoritias longum informatus ad artes,
Fælici reget Arcadiæ moderamine rura,
Incolumes præſtabit oves, lætoſque colonos.

Thyr. Ergo age, feſtivos cantus modulemur avenâ,
Ducamuſque leves turbâ alternante choreas,
Atque novo feſtos Pani inſtituamus honores.

Jo. Norris, A. M.
Coll. Omn. An. Soc.

In

In immane illud CAROLI I. *Regis paricidium* χτλιαστικὸ *cum ejusdem Indigitatione.*

OCcidimus! quid, Musa, pios hæc munera manes,
Quid conclamatos cineres, cassamque favillam
Sollicitans, poscis lamenta & funebre carmen?
An capiti extincto frigentia membra parentent?
Scilicet illa modos nobis scelerata securis,
Quæ lucem Regi, eripuit; populique cadaver
Usque sumus: tanto rubuit quod sanguine ferrum
Exanimes & nos hausit: quis dicere regni
Singultus longos, dura & suspira possit
Effari, ut moriens tremebundos fuderit artus?
Carole, sic te etenim pietas studiumque tuorum
Prosequitur, vixit felix te sospite regnum,
Et tecum simul interiit; (fuit Anglia & ingens
Anglorum decus) ut vitis quam cura maritat
Rustica proceris ulmis, quæ fida caducæ
Fulcra locent, teneantque enervi stirpe reclinem.
Ea validis innixa humeris atque ulmea prensans
Corpora, se latè extendit jam palmite multo
Luxurians, plenosque ostentat læta racemos,

Donec forte caſæ nutanti ſive tigillum
Seu laquear deſit, Lignator, munere Bacchi,
Quam laribus malens tutis caruiſſe, bipenni
Ferro adimit viti fulcrum, ruit ilicet ulmus,
Et ſociam latè ſternens ſucciſa recumbit.
Quáque diu junctis crevere amplexibus unà,
Stirpitus impellit communis utriſque ruina.
Et quantas tulerit fruges reſpublica, nitens,
Dive, tuis quondam cervicibus! Otia Muſæ,
Otia ruricolæ, peragebant otia Cives:
Tum ſuus arti ceſſit honos, ditabat alumnos
Mercurii mare tranquillum, tum grata coloni
Sudorem tellus locupleti meſſe rependit;
Nil opus armatis proſcindere claſſibus æquor,
Nil Urbes vaſto munire & milite tanta
Graſſari, nec adhuc Londinum pacis amœnæ
Tædebat, rebuſque novis gaudere paratum
Servitia in turmas vomuiſſet læva rebelles.

Et quis detrectare furor, quæ triſtis Erinnys
Tam mite imperium ſuaſit? quæ jura, Quirites,
Deſeritis? quove aucupio per dædala fraudis
Imponit Catilina novus? ſic denique nondum
Putentes ſubolere techinas? quid enim? quaſi magno
Conſtiterit ſimulaſſe pium; proh cæca futuri

Pecto-

Pectora! sed seri sapietis forte nepotes,
Quos raros supereſſe ſinent civilia bella,
Sanguine ſit quanto procerum plebiſque putabunt
Sævitum in jugulos ſociorum, ubi vindice nullo,
Dedidicit ſperare Deum, jam dira juventus,
Omne accincta nefas moliri & cernere ferro:
Crudelis! ſaltem iſte ſitim ſedare cruoris
Purpureus poſſit rivus, qui ſanguine largo
Plebiſque procerumque fluit: quid Regia vita
Commeruiſſe poteſt? tu ſaltem ignoſce parenti,
Miles atrox, ſanctâ qui Majeſtate verendus
Hoc tantum reus eſt, quod teque tuoſque tot annos
Texerit, in commune vigil, patriæque ſaluti
Proſpiciens, atavos qui per bis mille Decembres
Perpetuâ ſerie centum numerare novemque
Sceptrigeros poſſit; fruſtra certaverit illi,
Europæ quiſquis titulis regalibus altus
Imperitat populis, tantis auctoribus impar.
Nec longâ te gente Deum creviſſe, quod ultro
Fors dedit, at Virtutis honos propriumque coronat
Carole, te meritum; ſceptris quo dignior iſtis
Ipſe tui Rex, egregias molitus habenas,
Omnem animi motum ad mentis dictata ſolebas
Compoſuiſſe tuæ & ſanctæ rationis amuſſim;

Imperium mentis neu ſollicitare ſerenæ,
Plebs animæ, Affectus, auſa eſt, aut hiſcere contra:
Non te præcipites iræ, non dira libido
Tranſverſum impulerant, non ſumma licentia Sceptri
Quæ ſolita elatos animis inflare tyrannos.
Ollis ad libitum, Virtutum paupere cenſu,
Vivitur; & magni pendunt, ſi fama ſalutet
Tranquillum hunc, Facilemvè illum, ſi tertius Acer
Audiat aut Pulcher, ſaltem ut de corpore captent,
Quas animæ laudes nunquam meruere, beati
Si generis tantum phaleras & ſtemmata detur
Oſtentare patrum, quos deſeruere minóres
Degeneres, vitiis acti, ingenioque ferino.
Sanguine te viciſſe omnes & corpore, cujus
Sidereas vigor integros firmaverat artus,
Quale ferunt veterum heroum, quos frangere nondum
Maſſica cœpiſſent, noſtræque licentia menſæ;
Id tibi pro minimo viſum: cui ſumma voluptas
Excoluiſſe animum & totis pia numina fibris
Concepiſſe ſuit, faciem virtutis, & ora
Ardebas, pulchrumque decus conſtantis honeſti,
Ipſe tui juxta compos, ſeu clade novercâ
Fors rueret, ſeu te cumularet læta ſecundis,
Neutrius & piguit fortunæ; protinus aris

Te

Te advolvens, numenque Dei veneratus, & ultro
Velle dediſſe manus patri, qui cuncta ſupremo
Temperet arbitrio propriâ jam ſponte paratus,
Succumbis docili pietate. Sonantia crebro
Teſtor ſcripta Deo, ſanctos animique receſſus,
Queis tete explorans, tantarum pondera rerum
Prudenti appendis trutinâ, properare ſuëtus
Ad Chriſti exemplum, & vitæ documenta ſequaci
Inde animo recolens, cœleſtia juſſa capeſſis,
Quo te cunque ſacro flectant oracula ductu.
Quem tibi componam heroûm, longæva triumphis
Inſeruit quos fama ſuis? Virtutis honore,
Carole quis tecum contenderit *Antoninus*
Aureus, hauſta crepans totidem percepta magiſtris?
Nec tibi Scipiades & quos jactare Catones,
Roma ſolet, cuiquam liceat conferre, Sophoſve
Garrula quos ſuperis æquavit Græcia divis;
Pone ſupercilium, bona porticus, ingerere ultrà
Protinus ipſe ſuum ſenior *Gargettius* hortum
Deſinat, inclinetque ſuos Academia faſces.
Qualia ſe Vitreo reficit dum gurgite Phœbus,
Aſtra ſuis micuêre comis, cœlumque minores
Accendunt latè radii, famulantia donec
Tempora Titani, dulcem rumpentia ſomnum,

Cœleſtes aptant currus, nitidiſque lupatis
Alipides ornare parant feſtina jugales,
At pater, acclivi conſcendens tramite, pulchros
Cœperit ut ſparſiſſe ignes, ſolitoque decore
Exoritur, ſubito pudibundos ſidera vultus
Obnubunt, totaque poli ſtatione moventur.
Carole, ſic tua laus alios heroas, & acta
Elevat iſtorum, quos olim cana vetuſtas
Laudavit, ſeu quos hodiernæ conſcia famæ
Ora hominum Muſæque favor ſubvexit in aſtra.
At vos, veſtratem, Scoti, veſtra arma rogantem
Teſtantemque fidem, pacti mercede malignâ
Proditis, ignavi; ſanguis nil Regius illi,
Nil pietas proſunt, crudeles ductus ad hoſtes,
Tanquam vile caput, populi manibuſque nocentis
Rex inſons animam fatalis Victimâ fundit.
Heu tantum patrare nefas potuiſſe rebelles
Nec noſtras valuiſſe preces & quæ pia thura
Nequicquam ſurdis toties adolevimus, aris!
Non ſatis, O Superi, tantis terræque marique
Cladibus exhauſtos, tot campos ſtrage nefandâ
Texiſſe, & fluvios noſtro infeciſſe cruore,
Ni recrudeſcat, *Caroli* de vulnere, vulnus
Commune, atque iterum ſævo cum fœnore, Regis
Oc-

Occiſi fatum, Angligenis mala priſtina ſiſtat?
Scilicet illud erat pueri quo patribus orbi,
Et ſpoliata viro conjux lenire dolorem
Sueverat, incolumis *Carolus*: mercede ſub iſtâ
Viſum eſt poſſe pati tam duri incommoda belli:
Rex, tua dum ſperanda ſalus diſcrimina mille
Suaſit adire tuos, legeſque & jura Britannûm,
Et pietas & priſca fides ruitura, vocabant
Quas pote ſuppetias, quem non accenderet ultro
Regalis Virtus & Martis adorea tanti?
At ſpes non acciſa omnis, ubi deſtina rerum
Rex pius occubuit, fracto tum corruit axe
Victa ſimul, fatiſque manus dedit Anglia duris.
At poterunt, Scoti, parcarum adamantina penſa,
Et volvenda dies, ſceleris vos poſcere tanti
Supplicium, facinuſque oli m crudele luetis,
Sacrilegi Regum vendaces, aut ego veri
Vanus agor, prædamque omnem, diteſque rapinas
Abripiet civilis h yems, quam triſtis Enyo
Inſtinctu Superum veſtras effundet in oras.
Forſitan ex animo nec noſtris perpetuò ibit
Tantum impune nefas, Anglis neu credere fas ſit
Diis genitos Reges Superis vileſcere, & ulla
Corripere indigetes oblivia poſſe ſuorum.

Eſto,

Eſto, fidem nihili pendant immania corda,
Auſa Deos faciles ſpreviſſe, & numina ſerò
Ultura: at *Carolo* triſtes labentibus annis
Inferias dabitis, vos & rerum alea tanget,
Indecores animæ, populi fæx ima Britanni,
Nequa malos poſthac ſcelerum fiducia tollat.
At Divum interpres paribus Caduciſer alis
Advolat, exutam formoſi corporis artus
Tanti animam Regis juſto dignatus honore,
Vulgari armento ſecernit, mortis acerbæ
Legibus abſolvens & avitis imputat aſtris.
Eſt via quæ cœlum ſuſpendens fornice lacteo
Circuit, & medium puro diſtinguit honore,
Quam ſola heroum ſuperant veſtigia, poſtquam
Corporeos nexus mens eluctata, priorem
Nititur in patriam, divino lumine veſci
Diſcupiens, ſuperoſque iterum coluiſſe penates;
Carolus hác, ducente Deo, conſcendit, & intra
Limina ſancta poli conſiſtens, ordine longo
Proſpicit, antiquæ ſedis monumenta revolvens;
Hic rerum ſator æternis fulgoribus ardens
Lucis inacceſſæ, proceres cui mille miniſtrant
Aligeri, qui prompti animis arcana capeſſunt
Juſſa Dei, & prono ſuſi venerantur honore,

Hos

Hos juxta heroes poſiti, quorum ardua virtus
Et divinus amor pulchrâ præcordia flammâ
Moverat, æternumque pater retuliſſet in album:
Puras induti trabeas, ſanctiſque coronis
Tempora præcincti, numeris vociſque lyræque
Æterni mulcent aures genitoris, ovanteſque
Ætheris immenſi feriunt templa alta triumphis:
At Rex, Pacifico nomen cui priſtina virtus
Fecerat, auguſtis natum penetralibus ultro
Complexuſque manuque pater, per amœna locorum
Ducit ad Angligenum præclara ſedilia Regum,
Et ſtirpis decora alta ſuæ: tum protinus illi
Aſſurgunt venienti omnes, fauſtoque reſolvunt
Ora ſono plauſuque exceptum ſede locarunt.
Quam Pater omnipotens auro gemmiſque nitentem
Sidereis, *Carolo* fixiſſet, at ille beatis
Ordinibus junctus, meminiſſe tot, ante malorum
Deſinit, æternique decus laudeſque parentis
Divino tonat eloquio, numeriſque canorus
Concelebrat, ſalve Superi, magne incola, Cœli,
Carole, jam regno felix adſueſce ſereno
Fortunæ procul imperiis, & turbine fati.
At tu, ſumme parens, miſerere & digna ferenti
Ignoſcas populo, tandem clementior iræ

Pone

Pone modum, acciſis tandem, pater, annue rebus.
Exanimis viden ut ferali pulvere ſqualens
Trunca caput, taboque artus fœdata cadentes,
Infandos longum tulerit gens Anglica manes?
Heu lucem, pater, imperti, tardumque cadaver
Vita redux animet, divino concita juſſu
Vena fluat, ſanguiſque ſuo micet impiger alveo.
Cumque necem nobis immitia fata, parente
Sublato, dederint, da natum poſſe, precamur,
Imperii hæredem, ſolio ſuccedere avito:
Inde etenim nobis, nec fas aliunde, redibunt
Vitales fortaſſe animæ, luciſque prioris
Uſura, æternas ne devolvamur ab umbras.

Jac. Windett, M.D. Coll. Med. Lond. Soc.
& Coll. Reginal. Cantabrig.

Auctio

Auctio DAVISIANA.

K. O Vanas hominum curas! ô lubrica verti
Fata Deûm! noſtríſque diu non mitia votis!
Heu! per quot caſus, per quæ diſcrimina rerum
Mortales rapimur? quotus eſt, cui ſemper amica
Sors fuit, aut quem non miſerum ſpes vana fefellit?
Uſque adeò inconſtans gaudes, Fortuna, jocari;
Tollere quod dederas, adverſa reponere lætis.

B. Quorſum hæc, ô *Chryſippe*, Scholas redolentia dicta,
Plurima quæ tibi *Crantor*, *Epictetuſque* legenti
Suggerit, huc affers? (*S*) Age dic, quæ triſtia narras?

D. Qui caſus? (*C.*) Quæ te premit inclementia Divûm?

W. Undè taces, oculóſque manúſque ad ſidera tendis
Attonitus, nec quod latet imo corde profaris?

D. Iſte quidem, ſiquid rectè auguror, uritur; Illum *Phyllis* habet ſuſpenſum, ac lento macerat igni.
Donec erat facilis, nec dum ſurdâ aure querelas
Excepit; placidas tùm volvere ſtamina Parcas,

Læ-

Lætos ire dies, nec tùm implacabile Numen.
Poſtquàm averſa Venus, mutatáque *Phyllis Alexin*
Reſpexit potiorem, atque hunc faſtidit amantem;
Inviſa ex illo Fortuna, hinc Sortis acerbæ
Immortale odium, ac levium cenſura Deorum.

B. Aut fors inde redit, molli quà Sphæra vireto
Exercet juvenes; Hic, Spe fallente laborem,
Commiſit pugnam non Diis, non viribus æquis;
Jam dolet amiſſos nummos, vacuamque crumenam.

S. Quin vel Ego fallor, vel Tu (ad K.) jam tempore longo
Forſan Equum expectas, teneræ promiſſa Parentis,
Quo patris ad ſedes dilectaque rura veharis?
Sed nec Equum genitor, neque Servum mittere curat
Neu deſit meſſi famulus, plauſtrove caballus.
Inde illi gemitus, ſævique opprobria fati.

K. Sed neque Tu (ad S.) *Calchas*, nec Te Ille (ad D.) peritior Augur,
Nec quiſquam è Vobis; Nam, quanquam erroris iniqui
Diverſa eſt facies, idem tamen omnibus error.
Altera (ſed nec me naſo ſuſpendite adunco)
Altera fata movent animos; dedit ampla ruinam
Daviſiana Domus; fuit hæc, fuit inclyta, & ingens
Gloria *Caſtalidum*, ſed nunc ferus omnia vaſtat

Cre-

Creditor; expulsis mendicat pila Camœnis.
Fortunam quisquis posthâc sibi credulus optat
Perpetuam, atque ausit pellaci fidere Divæ,
Disjectas videat merces, versósque Penates,
Teque, ô parve *Tryphon*, magnis exercite fatis.

C. Hoccine erat, tanto quod fert promissor hiatu?
Credideram fieri *Priami* fata; *Institor* exit.

W. Res memoranda quidem, & Sophocleo digna cothurno!
Sidera se miscent Umbris; Erebo Astra; moventur
Diique Deæque omnes; conturbat Bibliopola.

S. Quis *Lachesin* fugiat, quando *Hunc* quoque fata trahebant,
Nec latuit sævas tantillus Homuncio Parcas?

B. Vidi ego (nec tenuis conspectum effugit Imago)
Ire viâ exiguum per compita pumilionem;
Qualis ubi innumeris sec'lis effœta Senectus
Tithono imminuit vires; illi arida sensim
Genua labant, gelido deturgent sanguine venæ;
Adducti penitus nervi, breviorque videri
Incedit, gracili tibicine non bene fultus.
Talis erat; Sic Ille pedes, sic ora ferebat.

K. Ludite, at amoto querimur Nos seria ludo.
Tempus erat, memini, cum totos undique postes
Efficti

Efficti Heroum vultus ac plurima paſſim
Pagina veſtiret, crebræque in pariete Chartæ.
Mille intus plutei ſtabant, armaria mille;
Mille arcæ, totidemque ſuper lecto ordine libri.
Sed nunc tot quondam ſignis, tituliſque ſuperba
Infami (fœdum viſu!) ſpectanda papyro
Stat domus, inque ipſis foribus Chirogra[illegible] index
Accuſat Dominum, quod ſit fugitivus & Exul.

D. Sic Apis Hyblæo in campo, per & arbuta paſſim
Perque crocos volitans, ſuaves hinc inde ſapores
Ore legit, ſtipatque ingentem mellis acervum.
Mox inviſa apibus Fortuna, ac triſtis Erinnys
Aut fuci, aut pictæ faciem mentita lacertæ
Turbat opes; ſimul effuſus labor omnis, & Ipſa.

W. Non tamen exciſæ penitus ſpes, non ita cœlo
Inviſus ſuperiſque *Tryphon*, quin uſque ſuperſint
(Siqua ſolus miſero eſt) rebus ſolatia fractis.
I nunc, atque omnes, Fortuna, immitte procellas;
Auctio ſtat contra, & fatorum damna rependet.
Quare agite, alternis cantemus ritè Camœnis,
Quis ſit vendendi modus; & quas *Auctio* leges,
Quæ jura obſervet; quis ementibus ordo; locus quis;
Aut ſiqua inciderint, quæ Carmine digna referri.

S. Eſt locus improbulis bene notus civibus, Urbis
Ex-

Extremæ limes; Borealem nomine portam
Plebs indocta vocat; docti dixêre *Bocardo.*
Haud procul hinc domus est, teneris quondam apta choreis
Quâ pede festivo pueri, innuptæque puellæ
Exercere diem. (*C.*) Quas Te (ad S.) quoq; vidimus inter.

S. Altera nunc rerum facies; nunc codice multo
Fœta tumet; cedit Saltator Bipliopolæ.
Bis quocunque die, magnâ stipante catervâ,
Certatim huc properant ex omni parte Togati,
Quotquot calluerint libros; (*C.*) Cupiantve videri.

K. Limina *Sheldoni* neglecta, ac proximus illi
Bodleius; doctæ dudum siluêre Catenæ,
Desertæque Scholæ; Nemo vacua atria circum
Ambulat. Heu! Lector, tanquam *Rhodopeius Orpheus;*
Aut ligno, aut surdis mandat sua dogmata saxis.

B. Ibam forte viâ. (*S.*) Ignavus, (ad B.) sicut tuus est mos.

B. Quâ jactare pilam solet, adversisque retortam
Parjetibus vexare vicissim alterna juventus.
Nusquam ludentumve labor, strepitusve faventûm;
Apparent nusquam sepôstæ in pulvere vestes;
Tristis ubique quies; latè loca vasta silebant.

S. Scilicet His ignava cohors se mœnibus infert,

Prandia cum male pasti obolis constantia ternis
Ceperunt, aut cum jentacula matutinam
Exemère famem; facto velut agmine, Cuncti,
Quà data porta, ruunt pariter, sedemque capessunt
Omnibus æquus honos, eadem subsellia; scamnum
Non melius cuiquam, sedes nec honestior ulli.
Præcipuum invenias, & cum Doctore sedentem,
Cornubiæ extremo qui quondam in monte solebat
Aut servare pecus, pecoris non ipse Magister,
Aut stimulare boves, alieno lassus aratro.
D. Vera refers, mihi namque humeros & brachia circum
Hæsit, tanquam alter *Pyladi* prædulcis *Oresles*,
Servum ac vile caput, disruptâ veste Togatus,
Vectus ad *Oxonium*, quo lardum aut hordea carro.
Pileus huic micuit duro subtemine crassus;
Humentesque comæ præpinguem vertice odorem
Spiravere; Togæ mirus nitor——
K. Quin parce auriculis, ac naribus ingenuorum,
Et versu immundo castas temerare Camœnas.
D. Plurima sed frustra variat mihi fimbria vestem,
Si juxta sedeat, qui tergum pone minister
Prandenti observat; siquando aut pocula ferri
Præcipiam, aut patinas semesaque fercula tolli.

B. O me infœlicem, quod quâ Tu claſſe ſedebas
Non comes accubui; nec me quoque claſſis habebat!
Hinc Cocus, hinc lumbos trivit mihi Lychniopola,
Ultima vulgi fæx; Nam turbant limen & ipſi
Nobiſcum Emptores, ſcamnoque locantur in uno
Philoſophi, Artoptæ, Doctores, Archimagiri,
Et Medici, & Medicaſtri, & qui Medicamina vendunt.
Conſedere omnes; Roſtrum conſcenditur; At Quis,
Quis veſtrûm, ut melior rerum ſeſe explicet ordo,
Os *Millingtoni* referet, quis deinde *Cuperi?*

K. Iſtos quis velit, aut poſſit? (*C.* & *W.*) Nemo herculè, Nemo.

N. Quin Tu, (ad *W.*) quæſo, tibi quoniam eſt conſtantia vultûs,
Et facies veneranda, ac non indigna *Catone;*
Exprime Tu mirâ inſignem gravitate *Cuperum:*
Tu (ad *C.*) *Millingtoni* non dedignabere partes,
Nam lepidum caput es, dicto & mordente facetus.

W. Illum Ego? Num cernis mihi tardum abdomine ventrem
Surgere, quodve mihi ſpatium admirabile vultûs?
Numnam Prætor ego? vel Bubo? vel Aldermannus?

C. Sed nec Ego meliùs ſperem data penſa tueri:
Diis habeo grates, modici me quodque puſilli

Finxerunt animi, pauca atque modeſta loquentem.
Stentoris Illi Vox, audacia perdita; Sermo
Ventoſus, ſpirantque cavi mendacia folles.
Aſt Ego (ſic homo ſum) mentiri neſcio; Librum,
Si malus eſt, nequeo titulis onerare; *Witherum*
Mæonidæ præferre; aut Te, *Merline*, *Sibyllis*.
Ludere ſin placeat, ſic ſtet ſententia vobis;
Partes (ad W.) Ille ſuas, in me mora non erit ulla.

W. Inſanire libet quoniam, non durus habebor.
Componam, ut potero, vultus; talique Camœnâ
(Nec pudor ullus erit) cudam miſerabile carmen,
Quali vel *Bavius* ſcripſit, vel *Mævius*; aut quam
Exprimeret, verſus ſi pangeret, ipſe *Cuperus*.

B. Quin Tu, (ad C.) ſume tubam, & modulamine *Papiniano*,
Vel quali turget, cui dat gens *Claudia* nomen,
Grandia verba rotes, numeriſque tonitrua miſce.

S. At cave, (ad C.) ne nimio ſtrepitu ſubſellia frangas;

D. Aut ruat in præceps *Sheldoni* immobile ſaxum.

Q. Quin agite, & celebres laudet Præfatio merces.

B. Nos ſumus aut emere (*S.*) Aut ſaltem ſpectare parati.

W. Incipiam, Quin Tu, (ad C.) frater, mihi ſuggere; ſiquid

Hæ-

Hæsero; Nam melior semper tibi copia fandi.

'Vos ô *Cecropidæ, Britonum* spes. (*C.*) Adde, decusque.

W. 'Atque decus; (ad C.) quid deinde? (*C.*) Togæ flos (*W.*) floſque Togatorum

'Ore favete omnes, placidaſque advortite mentes.

C. Pergas Marte tuo, verbum non amplius addam.

W. 'Si bene quid memini, bis ſextus volvitur annus,

'Ex quo nota diu Gallis, notiſſima Belgis

'*Auctio*, ſera licet, noſtris tandem appulit oris.

'*Londinum* accepit plauſu, fremitumque ſecundum

'*Granta* dedit; ſit fas & *Vos* ſperare faventes.

'En vobis Libri: ſibi ſunt encomia, nec me

'Laudatore opus eſt, aut Oratore *profecto*.

'Non ſum facundus. (*K.*) Fateor. (*W.*) Sed Honeſtus haberi,

'Promiſſique tenax, dictis factiſque merebor.

'Nec ſi non nimis argutum Natura *Cuperum*

'Fecit, falſum etiam mendacemque improba finxit.

'Orandum reſtat, veniam indulgete roganti,

'Vertice ſim tecto, neu me mala frigora lædant.

C. Ne metue, at ſolido fidas, *Bollane*, cerebro.

Ullane vis? ullus caput hoc invadere morbus?

Crediderim molles ſilices, penetrabile ferrum.

W. 'Expecto, quid ſit cordi; quæ veſtra voluntas.

K. Scilicet, annuimus. (*B.*) Vela caput. (*S.*) Indue. (*D.*) Quidni?

W. 'Pro tantis meritis grates perſolvo, nec unquam,
'Dum ſuperat caput hoc, dum Spiritus hos regit artus,
'Arguet immemorem quiſquam oblitumve favoris.
'Auſculate omnes, intentique ora tenete;
'Namque edico palam, quas poſtulet *Auctio*, leges.
'*Ille librum, quiſquis pluris licitatur, habeto.*
'*Lis ſiqua inciderit, decidere Vos penes eſto.*
'*Tertia cum ſonuit plaga, irrevocabilis eſto.*
Ergo agite, imprimis Solymæâ tradita linguâ
Biblia do vænum; Pretium quis? ſi modo cordi
Relligio eſt, fideique immobile fundamentum
Vicenas dabitis libras. (*K.*) Mihi Relligionis
Cura quidem; ſed non Ego transfuga Sacramentum
Addixi verpis, ignotæ Biblia linguæ
Ut curem verſare, nec intellecta vereri.
Hoc opus, hos libros volvat Judæus *Apella*,
Non Ego; Me meliora pii docuêre Parentes.

B. Sed neque verpus Ego, neque deditus *Antichriſto*.
Notior at nulli Vox eſt ſua, quam mihi quicquid
Grajus, *Arabs*, *Italus*, *Chaldæus*, *Hebræus*, & *Aſſur*,
Æthiopeſve ſonent ſacrum, aut *Memphitica Coptos*.
Is ſum, qui latices ex ipſo fonte petitos

Malim

Malim, quam longo circum deducere rivo.
Hinc, ut me laudem, legi *Targumque, Maſoramque, Onkelon,* & *Kimchi*, quæ Te (ad K.) vel nonſina terrent
Commentatores *Rabbinos*; *Kabbala* quicquid
Implicuit nodis, cæcoque ænigmate texit.
Trinos ergo libens ſolidos dabo; ſed tamen antè
Veſtigem, luſtremque oculis, ne faucius ullâ
Parte vacet codex, neu deſint plura. (*W.*) Libellum
Porrigat è vobis aliquis; (ad B.) ſcrutare. (*B.*) Quid hoc eſt?
Excuſor, tituluſque deeſt, ac pagina Princeps;
Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine *FINIS*
Scribitur; O nebulo, (ad W.) qui mancum obtrudere librum
Auſus es, ac doctam ſperas fraudare Juventam.
S. Sic tibi notus *Arabs?* Sic intellectus *Hebræus?*
Kimchi lectus in hoc? & in hoc tibi *Kabbala* ad unguem?
Ut tandem ignores *Eoos* ordine verſo
Incipere à dextrâ, in lævam migrare legendo,
Inſuetâ ire viâ, & veſtigia ferre retrorſum?
W. Quin Tu (ad S.) quot numeras? (*S.*) Trinis addo inſuper unum.
D. Aſt ego, me quanquam (pudeat neque vera fateri)

Ignoti nova forma typi, abnormisque character
Attonitum feriat, perculsaque lumina turbet;
Ut stet honos sacris, sanctæ ut Reverentia linguæ,
Sex numero solidos. (*W.*) Nemon' plus? Nemo?
Semel; bis?
Ter sonuit buxum, fugit irrevocabilis ictus.

C. Quo nunc Religio, & Divûm Reverentia, Divûm?
Quos emptus *Moses* non dat, dabit *Histrio* nummos.

W. En hîc *Suarezi* bis dena volumina vobis!

C. Bibliotheca, liber! (*W.*) Quis tam spolia ampla reportet?

K. Heu! mea non capiunt tã grandem scrinia molem,
Hospitiumque negant angusta cubilia; lecto
Defuerit statio, modò si *Suarezius* intret.

B. Quindenos numero solidos, atque aufero librum.

S. Aufers? ante tamen tecum perpende, pusilli
Quid valeant humeri, quid brachia ferre recusent.
Huic oneri cervix non sufficit ulla; *Milonis*
Lassabit collum, vel *Turni*, vel *Diomedis*.

D. Quanti cistiferum conduces? aut ubi quæres?
Namque *Atlante* opus est, aut *Hercule*; si modo tanto
Non cadet *Alcides* sub pondere, non ruet *Atlas*.

W. Trina *Semel* pondo; tria, *bis*? tria? proh pudor ingens!

Ter

Ter ſonuit, &c.

Proximus en Vobis ſe *Berkenhaubius* offert.
Ecquis dat binas (ſunt bina volumina) libras?
S. Siqua anus eſt, miſeræ cui ſit tutela Senectæ,
Et ſtruere, & chartâ ſubter fulcire placentas;
Siquis cordyllis optet piperive cucullos,
Quive papyraceos gaudet componere milvos,
Aut Scombros qui vendit, emat Te, *Berkenhaubi.*
D. Utcunque id nimium ducam, dabo quattuor aſſes.
Namque domi ruptæ Phœbum Boreamque feneſtræ
Admittunt; præſens chartâ quare indiget uſus,
Vulnera quæ reparet, quâ ſit mihi ſarta cicatrix.
W. Quattuor ille *Semel; bis*, quattuor. (*B.*) Aſt
Ego quinos.
W. Quinque, *Semel: bis*, quinque aſſes: proh triſtia
fata!
Ter ſonuit——
Julius en vobis *Cæſar!* quis reprobus, & quis
Electus; qui grex hominum damnabitur Orco,
Quos cœlum manet Indigetes, liber iſte docebit.
B. Et Tu *Calvini* ſectaris dogmata, *Cæſar?*
Tu *Romæ* civis, mediâ natuſque Suburrâ
Tandem evaſiſti fanaticus, & *Catharorum*
Unus? Sed memini; Namque hanc ego ſemper amavi

Historiam (dormit mecum lectissimus Author,
Itque comes, quocunque vager, quodcunque facessam)
Jam nunc in loculo est) memini, inquam, ut bella Genevæ
Gesserit ante lacum *Cæsar*, quo tempore forsan,
Quanquam hæc exciderint mihi jam, neque lecta recurrunt,
Obvius huic veniens *Calvinus* stillat in aurem
Principis occultum virus, fallitque veneno.

S. O si *Democriti* costas mihi fata dedissent,
Aut *Millingtoni*? Nam cui laterum satis? aut quis
Sufficit in tantos vulgaris pulmo cachinnos?
Calvino quisquis committit *Cæsaris* annos,
Idem aprum silvis, fluviis Delphina; *Jacobo*
Deucalionem idem jungat, *Pyrrhamque Mariæ*,

B. Quicquid id est, prædulce adeò mihi *Cæsaris* ipsum
Nomen, ut undenas grave non sit solvere drachmas.

W. Undenas, *semel*; undenas, *bis*; quis duodenas?
Ter sonuit——
En liber insigni facie, minioque superbus!

C. Nomine non opus est; sua vendet purpura librum.

D. Noster erit, noster pretio quocunque libellus.
Cœruleæ mihi terga notæ, distinctus & auro
Incendit mentem fulgor; quam pulchra videri

Pa-

Pagina! quam ſplendens! ut ſcrinia noſtra decebit!

K. O maleſane Puer, nimium ne crede colori;
Fronti nulla fides; intus ſi lumina vertas,
Congeries vocum informis, confuſaque rerum eſt
Farrago, & tardis bilem motura *Batavis*.

S. Hunc illud credis Juvenem curare, peritus
Indoctuſve fuat, modo murice fulgeat Author?
Aſpicis hunc ipſum? multo eſt ſpectabilis oſtro,
Sunt nitidæ, ut cernis, veſtes; coma pexa decenter:
Sed vacuum caput eſt, ſed lævâ in parte mamillæ
Nil ſalit *Arcadico*---(*D.*) Quin parcius utere linguâ,
Parcius Enſiferis iſta objicienda memento,
Aut Ego--- Sed præſtat non neglexiſſe libellum.
Auratos numero binos (*W.*) Plus nemo? *Semel; bis; Ter*——

En *Nepotis* vitæ, curâ ſtudioque *Stephani!*

K. O natum averſis Muſis, & Apolline lævo!
Quem non arte Deus, Dea nec dignata cerebro eſt.

W. Nunquam Helicona bibi fateor; quin protinus ad rem.

K. Aſſem ego (*B.*) Deinde unum (*W.*) Binos, *Semel* (*S.*) Addo ego porro
Binos (*W.*) Quattuor ille, *Semel; bis:* (*D*) Deinde Quadrantem.

W. Ter

W. Ter ſonuit——

C. Sunt capita Heroum tam vilia? Scilicet unum
Miltiades aſſem; luſcus valet *Annibal* unum;
Atticus inde duos; dat cætera turba quadrantem.
Me *Cicerone* opus eſt, Me, Me inquam Rhetora poſcunt,
Aſt Ego, namque mihi eſt dicendi copia torrens,
Frigida magniloquis incendam pectora dictis.
'Sol, qui flammigeris mundum complexus habenis
'Hinc atque hinc rutilis animas fulgoribus orbem,
'Ocyus, ocyus igniyomos huc flecte caballos.

K. Quorſum hæc? cur *Phœbum* demens in carmina poſcit?

C. 'Nam neque cum roſeus Nabathæo ſurgis in auro,
'Nec Tarteſſiacâ ſtridens ubi mergeris undâ,
'Quæ Te cunque rotat cœli plaga, fœnore tanto
'Te ditat, tantaſve oſtentat ſplendida gazas.

D. Quas gazas, aut quæ ſpectacula narrat Hiator?

C. 'Jam ſua Pellæus taceat monumenta *Canopus*,
'Tuſca *Palatinus* neque ſcripta oſtentet *Apollo*,
'*Oxonio* cedat *Roma*, & Tu, *Phœbe*, *Tryphoni*.
'Quis *Bodleianis* congeſta volumina thecis,
'Quis nunc *Seldeni* archetypos, aut ſcrinia *Laudi*
'Objicit? Hanc quando lambentem ſidera molem

'Li-

'Librorum, Aonidum hæc armamentaria luſtrat.
'Quare agite, *Oxonidæ*, Magni ſoboles *Aluredi*;
'Vos Majorum Umbræ, defunctaque nomina Patrum,
'*Hammondi* manes, *Alleſtræanaque* buſta
'Immortale *Scoti* decus, æternique *Baconis*,
'*Chichleiuſque* parens, & avunculus excitet *Occham*.
'Si meliore luto finxit præcordia Titan,
'Si frater veſtri radiis ac ſole favoris
'Incaluit dudum; Nunc, ô prohibete, tenebris
'Ulla ſerenantes caligent nubila frontes.
'Sunt mea vota tamen fratris contraria votis;
'Vertice ſim nudo, precor, indulgete roganti.
'Cur rogitem, primum eſt, quod jure antiquior omni
'Mos *Britonum* id poſcat; *Britones* mihi ſemper amici,
'Aſſervat mihi namque *Britannia parva* Penates.
'Deinde decet; ſed quod par omnibus argumentis,
'Convenit, atque placet. (*S.*) Conceſſa eſt copia; fervet
Namque tibi cerebrum, fuerit nec inutile frigus.
C. 'Literulis dum ſtabit honos, dum gloria libris,
'Dum tollet *Rhedycina* caput, dum vitreus *Iſis*
'Alluet has arces, dum nobile Bibliopola
'Nomen erit, tanti haud aboleſcet gratia facti.
En hic *Hobbeſii*, vegrandis bellua famæ,
Leviathan! Hic eſt, qui ſubterranea regna

Audens

Audens atque ipſum *Plutonem* à ſedibus imis
Avellit; clauſit dudum tria *Cerberus* ora,
Et *Phlegetonteæ* ſiluerunt murmura ripæ.

K. Vos, quibus in cœlum Pietas, & Numina cordi,
Improbus, ô Pueri fugite hinc, latet anguis in herbâ.

B. Eſſe homines dicit, ſed non Ego credulus illi,
Sanguineum genus, & *Cadmeo* ſemine natos;
Bella ſimul cunctis, civilia bella moveri.

S. Iſti ſiqua fides, Ego ſum (quis crederet?) Urſus?
Tu tigris; lupus ille, feraque immanior omni.

C. Sin ita, qualis Ego, vel qualis bellua frater?

D. Neu queat ulterius tam noxia ſerpere peſtis,
Quinque dabo ſolidos; emptum Vulcanus habebit.

C. Quinq; *ſemel; bis*, quinque; ô lamentabile fatum
Hobbeſii! quinis octogenarius Author
Væneat ut ſolidis! Dii talem avertite peſtem.
Ter gemuit pluteus, ter tela ſonantia torſi.
Δειλὴ ἡ πλαγγὴ γίνετ' ἀργυρίοιο βιοῖο.
Quem nunc, quem facient *Zabarellæ* ſcripta beatum?
Hic eſt, cui penitus Naturæ arcana tueri
Contigit, atque imos rerum penetrare receſſus.

S. Hic eſt, quem cecinit ſublimi carmine Vates;
'*Non ſtat in Aulâ meâ, qui non ſtat pro* Zabarellâ.

D. At

D. At quâ pelle liber, quam vili tegmine ſordet!
Ut mala vix laceras cogit junctura tabellas!

K. Quid ſi rupta toga eſt, ſi fœda ac ſciſſa lacerna?
Sæpe ſub inculto latuit facundia panno.
Tres Ego, tres ſolidos. (*C.*) Tres hic pro codice terno;
Bellus homo, ac largus nummi! Tres iſte *ſemel, bis;*
O miſeras artes! (*B.*) Trinis ſuper addo trientem.

C. Lucro eſt iſte triens, grates *Zabarella* rependet.
Ter gemuit pluteus, ter tela ſonantia torſi.

C. En hic, en vobis *Foxi* immortalia ſcripta.

K. Iſta legat, ſi cui ferrum eſt in pectore triplex;
Me pavidum terrent congeſta cadavera flammis,
Semiuſtique artus, & corpora trunca Virorum,
Furcæque, gladiique, ac plurima mortis Imago.

B. Libram Ego (*S.*) Dein ſolidum. (*D.*) Binos porro.
(*B.*) Inſuper unum.

C. Heu, quianam ſegnes? quæ Vos ſocordia cepit?
Si juvat his gradibus pedetentim ſurgere, nunquam
Supremam dabitur pretii contingere metam.
Ante diem clauſo fuſcabit Veſper Olympo,
Quam Te dimittam, ſcriptorum maxime *Foxi*.

S. Addo Ego dodrantem. (*C.*) Dodrantem prodigus addis?

D. Sextantem ſuper his numero. (*C.*) Quid cunctor? Habebis.

Ter

Ter——

B. Sed meus eſt, nummis ter denis anté popoſci.

C. Siccine? (*K.*) Sic res eſt; audivi. (*C.*) Sit tuus ergo,

Fiat Juſtitia, & ruat Auctio. Quin agite, Hic eſt

Hic eſt quem legis, ille quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis.

B. Unde huic tantus adeps, de quâ venit iſte culinâ?
Cuive fuit patinâ pro deficiente paropſis?

S. Nempe prior Dominus nunquam deponere ſuevit;
Huic conviva fuit, commeſſâtorque libellus.

K. Utcunque eſt, nummis poterit conſtare duobus.

B. Aut tribus, & lucrum facit haud leve Bibliopola.

C. Nempe tribus nummis Epigrammata mille; *ſemel, bis;*

Ter——

S. Quid jam indignantem vetet exclamare Poetam?

I nunc edere me jube libellos.
I nunc edere me jube libellos.

C. Ecce *Almahidam?* Siquis tamen Hanc quoque; ſi quis
Captus amore: Ubi nunc Vos, ô molliſſima corda,
Eſtis Amatores? Ubi jam Deus ille Cupido;

Ida-

Idaliique arcus, flammæque, igneſque potentes,

Τόξα πυριπτίοντα, πολυφλόγεά τε φαρέτρα;

K. Vicenos obolos. (*C.*) Nullum intus concipis ignem,

Nec Venus eſt tibi nota. (*S.*) Tricenos. (*C.*) Incipit ille

Ardere, & flammas ſenſim, *Cypridem*que fateri.

D. Bis quinos ſolidos. (*B.*) Cupis, & potiere cupitâ;

Ter gemuit——

C. Baxterus ſequitur. (*K.*) Quo non præſtantiór alter

Protrahere in longum multæ damnoſa papyro

Dogmata Rixator; Centum ille volumina, centum

Arte laboravit, diſcors ſibi in omnibus idem.

B. Quis dat quinque minas? (*K.*) Solidos ego quinque. (*B.*) *ſemel, bis.*

Pergite; ſeria res agitur; Properate; Minacem

Cernitis hanc dextramne? an Vos, cum fulmina vibro

Nequicquam horretis? vano neque malleus ictu

Terrificat mentes, ſed inania verbera mitto?

Ter gemuit——

En hîc *Æſopus!* (*N.*) Quantum ô mutatus ab illo,

Cui tumuit tergum montani pondere gibbi;

Ille meus fuerit, dabitur pars Septima libræ.

S. Sextam Ego (*N.*) Nos quintam (*S.*) Dominum Te *Æſopus* habebit.

B. Ter——

S. O Corydon, (ad D.) Corydon, demens es; Nam
neque tanti
Author, ſed Pictura emitur, ſculptorque Batavus.

B. Quin age jam Frater (ad *W.*) ſiquo cor ferveat igni
(In ſilice, inque ipſis ſaxis ſunt ſemina flammæ)
Si ſtimulos dedit exundans mea copia fandi,
Emptorum huic pariter ſpectatorumque coronæ
Solve pias grates ac vectigalia laudum.

W. 'Non averſæ adeo mihi Muſæ, & lævus Apollo,
'Uſque licet temnar, nec ſim, Te (ad *K.*) judice, Vates,
'Non obtuſa adeo finxit mihi pectora Titan,
'Immemor ut veſtros dicar ſiluiſſe favores.
'Ingenii ſiquid ſpirem. (*K.*) Quod ſentio, quam ſit
'Exiguum. (*W.*) Foret aut dicendi ſiqua Poteſtas,
'In quâ me non inficior mediocriter eſſe
'Verſatum. (*B.*) Quiſnam hunc feret ex *Cicerone*
Poetam?

W. 'In veſtras irem fœcundo flumine laudes;
Flumen Ego dixi? *Fulmen* dixiſſe decebat.

N. O hominem lepidum, *Grantæque* ſub æthere
natum!
Qui ſimiles ſtrepitus, ac tintinnabula vocum
Inſequitur, nudo & verborum in cortice ludit.

W. 'Mal-

'*W.* Malleus ante meus frondes virgultaque fundet,
'Ante dies perimet *Sheldoni* nobile marmor
'*Calo* efformatum, feriens quoque vertice *cælum*:
'Ante bibet *Cami Oxonium*, *Granta Isidis* undas,
'Venditor ante libros culpabit, & efferet Emptor,
'Ante *Geneva* typis *Stephanum* superabit & *Aldum*,
'Ac prius *Oxonidis* Ego cedam Bibliopolis,
'Quam vestra exciderint animo mihi munera; *Dixi*
'Ille *Cuperus* Ego, patriâ qui *Parvo-Britannus*.

C. 'Quid jam currentes prohibet me claudere rivos?
'Namque opus exegi, quod nec Dea dira vetustas,
'Nec lethes poterit pigrum delere veternum;
'Magnæ molis opus, sub quo gemat ipse *Pyracmon*,
'Atque ingens *Steropes*, & vasto corpore *Brontes*.
Nam neque cum Siculo immanes *Cyclopes* in antro
'*Æoliis* validos geminant incudibus ictus,
'Tantum opus exercent; æquâ vi brachia tollunt
'In numerum, tanto neque turbine malleus exit.

'Vestris, *Oxonidæ*, auspiciis, ac Numine vestro
'Longum iter emensi tandem superavimus æquor;
'Sed nec opis nostræ est dignas persolvere grates;
'Dii vobis, siquis Deus artes respicit æquus,
'Præmia digna ferant; ante omnes innuba *Pallas*,
*Mercurius*que potens linguarum, atque augur *Apollo*.

'Quo tamen uſq; vehor? quo me furor entheus urget?
'Namque Ego, dum laxis veſtra in præconia velis
'Metior Oceanum, & Zephyris dare carbaſa pergo,
'Haudquaquam memini, quanto Vos torreat igni
'*Sirius*, ut madidos artus, venaſque peruſtas
'Pulverulenta coquat nimiis Phaetontibus æſtas.
'Reprimo me, Muſiſque injungo fræna ſolutis.
'Aſt hunc malleolum, noſtrâ geſtamen in arte,
'Poſtibus his figo ſacrum, & rem carmine ſigno;
'*Hæc Millingtonus Rhedycinæ atque Artibus arma.*

Arthurus Keye, Armig.
Waller Bacon, Armig.
Ed. Stradling, Armig.
Geo. Dixon, Armig.
Chriſtoph. Codrington, Armig.
Gul. Woodward, Armig.
} ex Æde Chriſti.

De

De PÆTO, *seu* TABACO.

Liber Primus.

INnocuos calices, & amicam vatibus herbam,
Vimque datam folio, & læti miracula fumi
Aggredior. Tu qui cenſu decoratus Equeſtri
Virtutem titulis, titulos virtutibus ornas,
Antiquum & Phœbi nato promittis honorem,
Tu *Paddæe* fave: nec enim præſtantior alter
Morbifugæ varias vires agnoſcere plantæ,
Inque tubo genitas haurire & reddere nubes.
Da puer accenſum ſelecto fictile Pæto,
Ut Phœbum ore bibam: quis enim ſine numine Pæti
Digna canat Pæto, & tantis ſe comparet auſis?
Non inventa homini humanos adolevit in uſus
Nobilis herba, patri ſed primum viſa Lyæo,
Cum madidus ſiccos thyrſo ſubduceret Indos,
Notuit, ad ſeros & claruit inde nepotes.
Forte per æſtatem teſquis arentibus hoſtes
Norat in inſidiis meditari prælia Bacchus,

Arma jubet celereſque jugo ſubjungere Lynces,
Baſſaridaſque ſequi; Silenum accedere curru
Mandat, & in pugnam totis exardet habenis.
Pone ſequebantur lixæ, jumentaque multo
Tarda onere, & lentis congeſta viatica plauſtris,
Et claudus ſenio Sileni vector Aſellus:
Dumque velut furiata phalanx, inimicaque quærit
Agmina, per vaſtas & laſſa vagatur arenas,
Dira fames, urgetque ſitis, defectaque ſucco
Membra labant, deſunt ipſi ſua munera Baccho;
Amphora Sileni curru ſubverſa jacebat
Amplo exhauſta ſinu; ſitienti ambuſta dehiſcunt
Ora Seni, ardentes dum ducit hiatibus auras:
Mænades, & Satyri, multumque proterva juventus
Impatiens ſcrutatur aquas per viſcera terræ,
Nequicquam; de ſe tandem ſibi pocula quærunt,
Et ſalſum potant, quem dat veſica, liquorem;
Pocula ſpurca nimis; ſed & hæc quoque pocula deſunt
Increſcente ſiti, venis & deficit humor.
Spes tum acciſa omnis, facieſque miſerrima rerum
Apparet; toſtas alii de faucibus atris
Exhalant animas: alii per mutua fundunt
Vulnera, quem rapiant ante ultima fata, cruorem.
Jamque acies moribunda cadit, quum valle remotâ

Eminus obſcuri facies confuſa vireti
Viſibus occurrit dubiis: tumque Evius altum
Inclamans; duremus, ait, tantiſper in armis,
O Socii, optatam vicinâ in valle ſalutem
Aſpicio: hîc lentos toto conamine greſſus
Accelerant, renuuntque mori, venaſque ſupremo
Sanguine manantes, animæ ſpiracula claudunt.
Utque propinquabant, altis ſe prodit opacum
Stipitibus nemus, & foliis ſpectabile vaſtis.
Euge! meis, clamat, cognatam vitibus herbam
Agnoſco, munuſque Deum. Sed plura volenti
Surda manus, latas tenero de caudice frondes
Carpit, & ignoto latrantia viſcera ſucco
Demulcet; viridis ſtillat ſub dentibus humor.
Non tamen oblatas Sileni provida virtus
Præcipiti vorat ore dapes, ſed cautior uſu
Hæret ab exemplo documenta abſtemius optans.
Nec mora: quis patulis lateat ſub frondibus error,
Eventus docuit: totis (mirabile) caſtris
Evomitur, caditurque, velut cum gurgite pleno
Ingruit admiſſi miranda potentia Bacchi;
Volvitur in gyrum tellus, cœlumque videtur
Nubibus adductis ſurgenti occurrere terræ:
Tum ſopor obrepit, ſomnique invicta cupido

Germanam dubiâ præſagit imagine mortem;
Capripedes mediis diffuſos ſtertere arenis
Cernere erat, disjecta ſolo defeſſa furentum
Membra Mimallonidum devota jacere ſepulchro.
Mox ubi diſcuſſo longi languore veterni
Plenior ex adytis in ſingula membra recurrit
Spiritus, amiſſæ redierunt corpore vires.
Surgere tunc alacres, pedibuſque inſiſtere firmis,
Et fulgere oculis, thyrſumque vibrare lacertis
Fortibus, abſenteſque laceſſere vocibus hoſtes.
Attonitus monſtro, non huc ſine numine, amici,
Appulimus, Silenus ait: nec dona Deorum
Deſpicite, ingenitas vires, nec nomina Bacchi;
Nec pudeat certa ſalvos à morte fateri
Cœlitus oſtenſo vitam debere Tabaco:
Adveniſſet enim languentibus integer hoſtis,
Victa ſitî manus hæc cecidiſſet victima ferro,
Tinctaque veniſſet victoria ſanguine nullo;
Nunc veniat, validaſque manus, animoſque viriles
Sentiat, &, ſi mens ſuadet, fera prælia tentet:
Sed rationis opus; ſuperum nec munera cæco
Contemeranda uſu. Si quid ſapit iſta ſenectus,
Viribus eximiis permiſtum in ſtirpe venenum
Delitet: in ventrem virides ne mittite ſuccos,
Man-

Mandite nec folia ingeſtis confuſa ſalivis:
Virus ineſt crudis: æſtivo Sole recocta
Credibile eſt tutos præbere halantibus hauſtus;
Nec ventri, at cerebro (ſi tecta evolvere fas eſt)
Pabula grata reor ſubtilibus eruta fumis.
Quare agite, ô juvenes, tam digni muneris aptos
Ingenio, & rapidis extundite mentibus uſus.
Dux ego veſter ero; quid mens dictaverit, omnes
Accipite; arentes prolixâ uredine frondes
Comminui manibus jubeo, cannaque reponi,
Protinus educto radiis ſolaribus igne
Contingi, & poſitis adverſâ parte labellis.
Exfucti calidas nubes adducere fumi,
Ocyus ut poſſint cerebri pervadere flexus,
Vinoſiſque leves recreare vaporibus auras.
Dixerat: hinc Satyri teretes aptare cicutas;
Deciduas alii ſiccâ fuſcedine frondes
Frangere: pars tubulos arſuro pulvere complet,
Pars ſtricto ore trahit (riſumque ſodalibus affert)
Pulvereum flumen, tuſſeſque inducit iniquas.
Ipſe pater fremitus vana & conamina riſit.
Igne carent, ignem votis ardentibus optant.
Ecce Senex denſum, quod habebat mantica, vitrum
Depromit, vafri inventum ſubtile Promethei

Fu-

Furati æternas cœli de fornice flammas.
Hic latet ignis, ait: ſuſcepto & Sole rotundum
Molliter acclivi depreſſum in vertice centri
Frondibus admovit Phœbo penetrabile vitrum.
Cuſpidis in morem radiis concurritur, auctus
Inde calor ſenſim ſerpit, fomentaque circum
Arripit, & fumo vicinum nuntiat ignem.
Applaudunt Satyri, Faunique, ſenemque magiſtrum
Attollunt humeris, voceſque ad ſidera tollunt;
Ipſe cavam ante omnes accommodat ore cicutam,
Leniter adducit nebulæ mirabilis hauſtus,
Et ductos patulis fumos è naribus efflat.
Nec mora, permotus ſubitâ dulcedine, toto
Corpore diffuſum ſentit geſtire vigorem,
Ut ſolet à noti fœcundo flumine Bacchi
Serpere paulatim non intellecta voluptas.
Ora madent: non ſalſa ſitis, non vexat acerba
Eſuries, vomituſve: levi vertigine tantum
Crura vacillare, & ſupremam udeſcere frontem
Percipit, illæſus ſed & hæc vaneſcere gaudet.
Tum vacuus denſâ Pæti porrectus in umbrâ,
Omnigenùm ut patuit fœcunda ſcientia rerum,
Dulcibus abſumit lentas ſermonibus horas,
Explicat ingentes opulentæ mentis acervos,
Lu-

Ludenti & ſimilis Naturæ arcana recludit;
Implicitos memorat ſphæris cœleſtibus orbes,
Compagemque hominis, terræ & miracula pandit,
Addit & oraclis docti libamina fumi.
Fumantem ſequitur circum diffuſa juventus
Ipſa novis operata tubis, fumoque fragranti;
At rudis ore vomit naſo reddenda patente
Nubila cum multâ tuſſi lacrymiſque jocoſis,
Ridicula, appreſſis animam quæ claudere labris
Neſcit, perque cavas iterum depellere nares;
Docta ſed exemplo grandævum æquare magiſtrum
Efflando ſatagit, repletque vaporibus auras;
Dumque hilares animis lætâ vitulantur in herbâ,
Ecce venit feſtis longum expectata miniſtris
Annona, & multo ferventia dolia vino.
Clamores geminant, verſiſque ad cantica cannis
Gaudia agunt, epuliſque favent, multumque vocatis
Jumentis, reducique ſenis gratantur Aſello:
Indulgent Cereri primo, tum Maſſica libant,
Viteaque admiſtis alternant pocula fumis;
Cuncta fremunt fumo, cantu, miſtiſque choreis,
Donec dulcem oculis fudit nox alta ſoporem.
Poſtera ut illuxit lætis aurora, ferique
Admonuit belli ſecuras pace phalanges,

Lenæus pater, & Sileni cana ſenectus
Extimulant, ſi quos feſtivi heſterna diei
Fregit Luxuries, animoſque hortatibus addunt.
Sat poc'lis, genioque datum; nunc prælia mentes
Sollicitant; poſitas aſſumite vultibus iras,
Et forte inſtanti dextras componite pugnæ,
Ne vigil incaute palantibus ingruat hoſtis,
Et cadat ipſa ſuas cædes non ulta juventus.
Nec virtus equidem nobis incognita veſtra eſt,
O Socii, magnis neque non confidimus auſis,
Sed nocet ignavas quamvis contemnere turmas,
Securoſque mali ignotis incedere terris.
Impavidi ergo animis ſedato inſiſtite greſſu,
Neu mala nos iterum letho penuria mulctet,
Agmine compoſito lenti procedite, Pæto
Non ſine contrito, promptiſque ad labra cicutis,
Et levibus fungis, ſervato & reſtibus igne;
Hoc animi ſurgent ad prælia, nubibus iſtis
Prodigiique novâ ſpecie terrebitur hoſtis,
Eſte viri, famam & factis ſperate perennem.
Dixerat: aſſenſum properant applauſibus omnes,
Et ſibi quiſque ſuo ſtationem corpore ſervat.
Arduus in curru medio pater agmine Bacchus
Eminet, impexi tergo Silenus aſelli

It comes, haud equidem bellax, nec idoneus armis,
At bonus eloquio, & ſubitis dare tuta periclis
Conſilia: æquales utrinque excurrit in alas
Denſa acies, hoſtemque animis pugnacibus optat;
Nec procul hoſtis abeſt: vicini vertice montis
Oppoſito emergit, ſummiſque haſtilibus extat.
Baſſaridis calido ferveſcit pectore ſanguis,
Ærea ſiſtra manu quatiunt, & tympana pulſant,
Vino acuunt iras reſides, hauſtoque Tabaco
Excludunt lethi faciem, ſuaque agmina circùm
Nube tegunt atrâ: ſpirantes naribus ignem
Procedunt: medio glomeratur in æquore nimbus
Igne micans, tonitruque fero, fumoque ſtupendus.
Oſtento attonitos ſubitus pavor occupat Indos,
Non homines ſed furva rati de faucibus Orci
Numina, conſternati animo certamen iniquum
Detrectant, trucibuſque timent confligere monſtris.
Pars fugit, & poſitis quærunt velociùs armis,
Quam dare victoris mallet clementia, vitam;
Pars orat veniam, parere & juſſa modeſtis
Imperiis patiente jugum cervice capeſſit;
Sed pudet erroris, ſtultâ & formidine tactos
Extimuiſſe piget vani ſufflamina fumi;
Libertate dolent ſervâ; ſolatur at illos

In-

Indulgentis heri condita lepore poteſtas,
Et victoris amor : ſimili diſcrimine victos
Victoreſque videt bellis utrinque remiſſis
Una dies miſcere epulas, Bacchumque ciere,
Et ſimul alternis fumum potare cicutis ;
Mirantur bona nata domi, nec nota queruntur,
Et nebulas animi jucundis nubibus arcent.

Atque hæc prima fuit mortales ſtirpis in uſus
Notitia, hæc latè noti cunabula fumi.
Jam quæ vis lateat plantæ, quibus apta bibendo
Corporibus, quibus & pugnet contraria morbis,
Muſa refer, geniumque novo concede labori.

In primis non una ſubeſt natura ſtupendo
In folio: adverſis dives virtutibus omnem
Exuperare fidem gaudet, ſtirpeſque beatas
Provocat: hellebori robur, rheabarbara duras
Solvere nata alvos, facientem gaudia vitem,
Balſama vulneribus laudata, fabamque ſuillam,
Nepentheſque animi mulſum, gravidumque papaver.
Magna Dei virtus, quæ tot miracula rerum
Seminis exigui tantillo cortice clauſit !
Quod licet haud ſuperet cineris, vel lævis arenæ
Fallentis digitum, & numerantia lumina, molem,
Mox dabit ingentem frondoſo tegmine ſylvam,

Et

Et certa in dubiis promet medicamina morbis.
Quod ſi quis tantas rimari indagine cauſas
Aggreditur, multum immani ſub pondere ſudet;
Seu diverſa Salis miræ ſubſtantia plantæ
Compoſitum eſſe dedit, multis & dotibus auxit,
Seu ſimplex variis obnoxia caſibus una
Materies alios pro mole & tempore vultus
Induit, atque aliter diſtincta in corpora regnat,
Naturæ latet in gremio, nec cernere pronum eſt.
Si tamen exemplis libeat velut indice filo
Ire per anfractus dubios errore viarum,
Inque ſibi ſimiles Totum diſſolvere partes,
Forſitan occurret, quo mens placata quieſcat,
Et ſi non verum, at veri illuceſcat imago.
Quicquid ineſt rebus ſapidum, diſcernere guſtus
Quod valet, id ſalis omne ſolet de nomine dici;
At gemina eſt natura ſalis; vel funditùs hæret
Corporeæ moli, ad ſuperas nec tollitur auras
Suppoſitis flammis, cineri ſed figitur acri;
Dictus & hinc fixus: levior vel ab igne ſolutus
In ſublime volat fumo ſubvectus amico,
Accreſcitque apici in morem fuliginis atræ;
Inde Sophis à re ſal ille volatilis audit.
Hic aliud memori occurrit ratione tenendum,

Viſcera

Viſcera quod terræ ſalibus prægnantia multis
Stirpibus innatis fœcunda alimenta miniſtrant,
Ut ſua cuique trahit proprium natura fluorem.
Fructibus hinc ſapor accedit, hinc floribus omnis
Spirat odor, retinentque ſui veſtigia ſucci.
At tellure latent penitus confuſa cavernis
Sulphurei latices, nitri glacialis amaror,
Lethale arſenicum, flammis affine bitumen,
Argenti liquor in fœdam reſolubilis auram,
Chalcantumque acidum, linguæque aſtrictor alumen,
Atque alia innumeros factura elementa ſapores.

Si quis jam excutiat prolixo carmine, de tot
Principiis, cui accepta ferat ſua munera Pætum,
Comperiet tanto dignum ſudore bitumen,
Cujus in eximiâ ſpecies ſupereminet herbâ,
Pingue, olidum, acre, tenax, nitro ſublime volanti,
Ignis amans, craſſaque ferens fuligine fumum.
His pictam in tabulâ quicunque coloribus herbam
Non videt, hunc oculis captum & rationis egentem
Crediderim: quid enim magis aſpectabile? dextram
Trita oleo fœdat, digitos & glutinè viſcat,
Et ſolidat crudum lento ferrumine vulnus,
Sorditiem ulceribus ſalſugine terget amarâ,
Nec putrere ſinit; ſenſum nam faucibus acrem

Im-

Impingit, longumque relinquit in ore calorem.
Latè fuſus odor viroſâ vividus aurâ
Diſſipat ignavum cerebro torpente veternum,
Siccat & illuviem eductis ſternumine mucis.
Denique in aereum flammis converſa vaporem
Fœta ſalis vivi, ſuperaſque volantis ad arces,
Pervia ſpiritibus mentis capitolia ſcandens,
Supplementa nova exhauſtis animalibus infert,
Atque hebetes ſubito reſtaurat acumine mentes.
Planta beata! decus terrarum, munus Olympi!
Non tantum agricolis duro laſſata labore
Membra levas, minuis victûs abſentis amorem,
Fundis & abſque cibo ſparſas in corpora vires;
Sed radium ſpecimenque Dei ſapientibus ipſis
Ingenium illuſtras, ſi quando aut multa tenebras
Colligit ingluvies cerebro, aut molimine longo
Intellectus hiat, rerum neque concipit umbras,
Conceptaſve tenet, vel cæca oblivia regnant.
Ut ſemel irrepſit blando lux indita fumo,
Aufugiunt nubes atræ, curæque tenaces.
Vis micat inventrix, demto velut obice veli
Tota oculis animi patet ampli machina mundi,
Æternæ ſpecies naturæ ex ordine nexæ
Succedunt, redeuntque ſuis ſimulacra figuris.

O quoties visus magnâ spectante coronâ
Orator populi cupidas dicturus ad aures
Contremuisse metu; docti sermonis acervos
Confudisse locis, linguâ & siluisse rigenti,
Quum memor ex tantis opibus sopita facultas
Nil daret in vocem, sed res & verba negaret,
Si modo vel micam generosâ è stirpe voraſſet
Fumanti tubulo, accenso ceu lumine, sensim
Res reperisse suas, prendisse fugacia verba,
Thesauroſque animi populo exposuisse stupenti!
Si duo præterea Stagiræ in pulvere docto
Laudis amore novo, verive cupidine pulsi,
Pugnam agitant, verbis & digladiantur acutis;
Omne animi intendunt robur, nervoſque fatigant
Nexibus impediant cautum ut subtilibus hostem,
Aut validum incusso rationem pondere sternant;
Stat circum pubes, pulchri & certaminis æquus
Arbiter, ingenii æquales utrinque lacertos
Mirantur, crebris vires applausibus augent;
Tandem obtusâ acie, ut fessis deferbuit ardor,
Lentior & validis insultus lucta remisit,
Sorbeat alteruter, sacrum refletque vaporem,
Ilicet ut tactâ Antæus tellure, resurgit
Firmior, exhaustumque recens grassatur in hostem:

Je-

Jejunus cadit, at ſequitur victoria potum.
Sin utrique placet nova de ſuffimine tela
Arripere, & calidam verbis producere pugnam;
Tum videas paribus momentis prælia ſæva
Eventu dubio in multam crudeſcere noctem;
Nec prius argutis diſcedere ab ictibus ambos,
Indefinitam abſcindant quam tædia litem
Judicis incerti, palmæ cui præmia donet.
Sic quondam Iliaco bello, par nobile fratrum
Aſclepî ſanguis Podalyrius atque Machaon
Fertur ab Atride indictum certamen amicis
Suſcepiſſe odiis, plantæ de laudibus Indæ:
Damnabat Senior linguâ tenus intus amatam,
Diſſimulans veros ſermonis acumine ſenſus:
Junior in fratrem jaculis ardentibus ibat,
Et pro dilectâ pugnabat ſerius herbâ.
Cordatum ante tubam potarat uterque Tabacum,
Impiger ingenium præclaro accendere fumo,
Et mucronatis mentem gravidare ſagittis.
Multa hinc inde agili vibrata haſtilia linguâ,
Multa retorta iterum, crepero nec pauſa duello
Ulla fuit niſi quam fumi dabat hauſtus amœni;
Unde renaſcentes ſtabant ad prælia nervi,
Invictuſque furor carum proſternere fratrem,

Donec inexhauſtis creſcentes viribus iras,
Ancipitem & litem ſententia magna diremit
Regis, inauditæ gaudentis honore palæſtræ:
Robore ſic proprio cecidítque ſtetitque Tabacum.
Et nunc de fumo gravibus confligitur armis.
Uſque adeo nil ſcire datur, dubitabile quod non
Ingenii faciat cita vis, & gratia linguæ.
Sed me perplexi ingreſſum ſpineta Lycæi,
Penſi aliò textura vocat; quibus herba ſalubris
Principiis conſtet, vero mihi carmine dictum eſt.
Nunc quibus illa viris faveat, quibus illa reſiſtat,
Quoſque ferat, pellatque ægro de corpore morbos,
Expediam, ſimul ut calicem ſiccavero Pæti,
Ædibus & vacuis ſuccreverit aucta ſupellex.

LIBER SECUNDUS.

TOllite vos ignem, tubuloſque: ſat ætheris hauſtum eſt:
Dum calet ingenium, dum ſenſibus integra vivis
Verſantur ſimulacra, fidem exolvamus amicis;
Odimus immemores; mundum nec paſcere fumo
Aggredimur, vanos aut ampullare per orſus;
Inſtat ſegnities, & Phœbo inviſa ſenectus
Triſtibus impallens curis, divortia Cirrhæ
Mandat, & extremum Muſis offerre laborem.
Dicite Pierides, domitis quæ geſſerit Indis
Liber, ut immanes populos moderamine legum
Mollierit placidus, quernoſque ligonibus enſes,
Et truculenta levi mutarit fercla Tabaco;
Ut mores, geniumque pater Silenus amœnæ
Stirpis, & innumeros ludens evolverit uſus:
Forſitan hæc qui vos bifido de monte per æquor
Tranſtulit auratam Boreæ regnator in aulam,
Audiet, &, tanto ſi non indigna parente
Funditis, innatum quanquam averſatur odorem,
Veſtris perfuſum violis, animaque ſuavi

Inter pulvillos variatâ mente reponet.

Ut ſedit ſolio Victor, non triſtibus armis
Sæviit in vitam vel opes, nec durus abactis
Indigenis ſtatuit dominos, nec more tyranni
Optavit metui, metuit non ipſe timentes;
Lenibus alloquiis, & majeſtate remiſsâ
Partus amor populi, facilis clementia mores
Erudiit, glebamque jugo parere ſuaſit:
Terra feris infamis erat, Lynceſque, lupique,
Tigres, & celeres pardi, miſtique Leones,
Impunè inſidias pecorique viriſque parabant,
Tollere nec cladem intentis in mutua bella
Cura fuit, major ſed erat meliorque voluptas
Finitimos flammis vexare & cædibus agros,
Et coctos calidis hoſtes apponere menſis.
Non tulit immanem ingluviem, qui temperat æſtus,
Sanguinis inque ſitî pacis ſuffundit amorem;
Vaſtitiem luſtrare cupit, regeſque cruentos
Viſere, & ingenuas craſſis dare mentibus artes.
Aſſumit numero è magno, quos indolis eſſe
Sciverat urbanæ, calicum ſed largior uſus
Vitaque liberior, nerviſque inimica libido
Fecerat effœtos, at nobilis aura Tabaci
Compoſituſque labor, cœlique nitentior hauſtus

Sen-

Senſim reddiderat reparatis viribus ægros.
Amphoriam, Balanumque legit, comemque Neandrum,
Jucundos comites, totidem quibus addit amœnâ
Fronte viros, luſcum Pelian, geniique ſagacis
Idmona, cærulei ridendum tubere naſi,
Pauperis & barbæ metuentem ſcommata Trullum.
Hærebat ſociis, & clam poſt terga ſubibat
Olim gratus Aper, caſu ſed ſurdus iniquo
Non adeo, ut ſolitus, ſuavis comes, atque facetus,
Juſſus abire manu, invitus ſub tecta redivit.
Regulus Hæmatoës, quo non truculentior alter
Vicinos capere, & captos prandere, tenebat
Non procul imperium vaſtis incluſus in antris;
Turpis ubi laniena fuit; juvenumque ſenumque
Corpora vincta jacent ſtabulis, pinguique polentâ
Ingratam cumulant in gaudia dira ſaginam:
Huc canibus, jaculiſque plagiſque ſequentibus omne
Cornicinum ſonitu & miſtis latratibus agmen
Vertit iter, nec longe aberat domus atra Tyranni,
Qualem Dis habitat: primo venientibus antri
Os immane patet; congeſtis oſſibus albet
Limen, & affixis apparent culmina tectis,
Conſitus ut ſcolymis horreſcit edulibus hortus,
Quum capita in ſquamas longis crevere medullis.

Forte dies genialis erat, Lapithæque repoſtis
Inſtruêre altilibus convivia lauta parabant.
Agminis ad ſtrepitum caveâ caput exerit Heros
Mulleus, & virides exponit vertice plumas:
Mox refugit viſis, venit alter, & alter, & antri
Interiora petunt, nec portam vecte parato
Claudere, nec miram meminere excludere gentem:
Dum tenet attonitos cæcus timor, ilicet Idmon
Primus in ignotos audet penetrare receſſus,
Cum cane naſuto; ſequitur mox cætera pubes
Palpans in tenebris, niſi quà per ſumma receptus
Tecta viam oſtendit ſub opaco lumine ſplendor,
Silenus medio, extremo tutiſſimus Evan:
Perveniunt tandem, ducit quo nidor, in aulam
Ferventem fremitu, facies ubi dira culinæ
Perculit ingreſſos primo, plenique lebetes
Fumantum capitum, verubuſque infixa colurnis
Multa virûm femora, & ſtillantes lancibus armi;
Fœmineique coqui cinctis circum ilia peplis.
Non procùl in clathris porcorum more jacebant
Corpora dena virûm feſto ſervata propinquo,
Dum creſcant adipes; lacrymis quos Liber obortis
Præterit. Hæmatoëm attentâ dum nare moloſſi
Veſtigat, penitoque latentem affatur in antro,

Surge

Surge miſer, vultuſque hominum conſueſce tueri:
Venimus innocui, cædes nec cædibus iſtas
Ulciſci eſt animus; veniam donamus avitis
Ritibus, & placidos gerimus ſine ſanguine mores.
Si cruor eſt cordi, pugnandi & tanta libido,
Bella movete feris, armento arcete leones:
Parcite vicinis, turpes nec ventribus eſcas
Indite, nec fœdis poſtes ornate trophæis.
Non eſt illa lupis rabies: non tigride tigris
Paſcitur, irato nec fit leo cœna leoni:
Tollite ferales epulas, & condite terrâ
Triſtes relliquias, dapibuſque fruamur honeſtis.
Ille nihil clarum; obſcuros modo gutture mittit
Grunnitus, torvumque tuens, non ſponte, monenti
Obſequitur, pavidoſque jubet parere clientes:
Tumque abit annona infælix, meliore parata
Succedunt verubus jucunda obſonia mundis
Cervorumque ſuumque tori, leporeſque anateſque,
Venantum & quicquid dederat labor.
Advolvuntur humi (nec enim conjungere menſas
Hora dabat) Bacchus primum vetuluſque magiſter,
Tertius Hæmatoës; nullo mox ordine ſeni
Procumbunt comites, tum picti terga ſodales.
Fata juvent; nunquam dextras junxiſſe fideles

Pœni-

Pœniteat rex (Liber ait) fœlicia ſint hæc
Fœderis incœpti primordia: ponite amici
Ritus immundos, facilique aſſueſcite vitæ:
Tuque adeo, ſubitos aditus, nec libera, frater,
Condemna alloquia ingenui firmamen amoris;
Proderit hoc olim hoſpitium, nec veſtra juventus
Utile ſubſidium vitæ didiciſſe dolebit:
Hoc tu pignus habe, quo nullum ſanctius optes.
Dixit, & undantem vino cratera recenti
Impiger exhaurit, ſecto quod palmite nuper
Arboris aëreæ repetito effluxerat ictu,
Utribus & plenis ſtabat prope: ſuſcipit ingens
Bellua, & epoto miſerorum ſanguine, tetram
Non prius aſpectum nectar deturbat in alvum,
Emittitque olidæ ructamina cruda popinæ.
Subriſit Pelias: narem compeſcuit Idmon;
Euvius increpuit nutu, & ſermone benigno
Non bene conſtantis vultum firmavit amici.
Euge virum! ut vero placuit liquor? ille ſubaudax,
Fronte ſupercilioque ad verticis oſſa retractis,
Eſt bonus iſte cruor, quocunque è gutture fluxit;
Vix melior pueri imberbis: ſi quis mihi porro
Præbeat, haud verear patinam ſorbere ſecundam.
Quod poſcis dabitur; ſed pocula jungere poclis

Et

Et turpe & nocuum. Neſcis bone, qualis in iſto
Sanguine ſævitia eſt; proprio te diſcere damno
Non patiar: forte ex aliis ſine crimine noſces.
Ut vero patrias craſſæ caligine mentis
Ignoratis opeš! hebeti tam grata palato
Munera ſucciſo de cortice ſufficit arbos
Obvia, nec ſumptu, multo nec emenda labore;
Sponte ſuos præbet lanianda ſecuribus artus,
Fundit & æternos redivivis fontibus amnes:
Cædite, legitimos terræ bona vertite in uſus,
Ducite nec pulcrum humanis pingueſcere venis,
Et terræ ſinibus ſerpentum more latentes,
Luce viriſque procul naturæ extinguere lumen:
Sunt vobis hominum vultus, ſunt pectora, nec mens
Degener, intrepidæque animis ad prælia vires.
Tot bona cur tumulo infoditis? de fronte character
Humanâ periit, nec quamvis ſanguine paſtis,
Sanguineus color eſt: tumido ſed luridus ore
Pallor ineſt, oculique latent, diſcrimina naſum
Nulla genaſque inter; facies veſica videtur:
Tempora nuda pilis, putri labra turgida tabo,
Et nigro trepidi promanant ſanguine dentes.
Vix animam trahitis, nervis attollere coſtas
Non datur, injecto ceu pondere pectus anhelat:

Eſt

Eſt piger excuſſis genibus gradus, & dapis almæ
Nullus amor, ſed humi juvat edormire veternum.
Hanc ſitus, & nunquam ſoli nec pervia ventis
Antra dedere luem, ſpurcoque obſonia ſucco;
At magis ira Deûm menſis accenſa nefandis
Intulit immundam reſoluto robore peſtem;
Et jam barbariem luitis, potûmque cruorem
Redditis impuro, qui vos infecerat, ore,
Ut moniti quæratis opem: ſed nec bona veſtra
Nec mala noviſtis; tantus ſtupor occupat ægros.
Cernitis accenſo prognatum pulvere fumum
Nare venire Senis velut exhalante camino?
Pulvis hic herba fuit: vobis vicina Tabaca
Nomine vix noto clarum dedit inſula nomen.
Hinc finem ſperate malis: tu cane Magiſter,
Cui natura parens rerum momenta ſuarum
Credidit, ingenium remedî percurre, modumque,
Nec differ miſeris optatam afferre ſalutem.
Hic, paulum tubulo amoto, flammaque moratus,
Magna jubes, dixit: ſi quæ tamen auribus iſtis
Digna putas, dicam; detur modo vita, recenſque
Libertas miſeris, pedibus quos fune ligatis
Ægrotos ſtabulis in fœdo ſtramine vidi.
Annuit Hæmatoës: ſolvuntur vincula claudis,

Pro-

Prorepunt geminis nixi, ſua quique gerentes
Ore mala, & lucem veriti tetigiſſe ſupremam,
Vultibus obſcænis lætâ ductantur in aulâ.
Non tenuit lacrymas vetulus Pater. Eia ſodales
Vivite, ait, vitam meliori ac ducite fato:
Nam licet, & dabitur: latet iſto condita buxo
Veſtra ſalus, modo ſit ſervari certa voluntas.
Tu miſerande Senex, muriam pro ſanguine venis
Qui generas, cui crura labant luctante podagrâ,
Purpurei ſtillant, hebeteſque arctantur ocelli,
Cæcus eris, ſi ſpernis opem, ſed ab arte medelam
Sufficiam; & tumidis albo ſuffimine buccis
In pileum nebulam inſpirat, vultuſque ſeniles
Protinus includit junctis ad tempora limbis.
Excipit ore ſenex mordentes lumina fumos,
Et patitur juſſus ſpe conſolante dolorem,
Exprimit imbrem oculis, vidit acrius omnia circum,
Plenius admiſſâ deterſis luce feneſtris.
Atque poteſt adeo ſalebroſâ in nare Magiſtri
Eminus extantes oculo numerare pyropos:
Namque rogatus uti in naſo quæ cerneret, & quot
Diceret, oſtendit digitos, &, fragra tot, inquit,
Aſpicio in noſtris naſcuntur qualia ſylvis.
Ilia concuſſit vetulus, riſere ſodales.

Dignus

Dignus es articulis ſine nodo: age ſugito, dixit,
Claude labrum, & laxis expira naribus auram:
Sugit, & expirat; ſed porro injuſſus, ut antrum
In gyros volvi, & turbari ructibus alvum
Senſit, humi recubans confertim cruda remittit
Fruſta, & multiplices, quas ante voraverat, offas.
En podagræ exitium: ſic fonte revellitur ipſo
Succus edax teneros rodens ſine dentibus artus.
Hoc bis agas, quum luna latet, cumque orbe recrevit
(Tum latebris turgent ſucci, tum mobilis humor)
Poſt læves patinas, & prandia pinguis omaſi.
Sic ubi ciſternam illuvie, primamque cloacam
Terſeris, humores ablatis fæcibus ibunt
Purius, articulis blanda, & ſine ſorditie acri
Nutrimenta fluent, quo nec fœcunda malignis
Relliquiis acidi pungentur acumine nitri,
Torta nec in duram concreſcent vincula cretam:
Tum levitate pedum Satyris certabis, & ipſas
Sponte tuâ poteris ſaltu ductare choreas.
Quod ſi pauca tamen falſæ veſtigia labis
Exuperant, hauſti blandâ torpedine fumi
Vaneſcent, nec hebes ſenſus, velut ante, dolebit.
Hâc ope non podagræ tantum cruciamina ceſſant,
Sed porrò coli rabies, ſed volvulus atrox,

Gut.

Gutturis & fœdæ tollens diſcrimina ſedis,
Et capitis clavus, & ſibilus auris adurens
Miteſcunt ſubito, nec poſt injuſſa recurrunt,
Si modo quis conſtanter amat, nec jurgia curat
Conjugis in fumum inſontem maledicta vomentis,
Oſcula quod vitiet, nitidas & conſpuat ædes.
Vir fuit antiquæ fidei, nec moribus aſper,
Æquoreas habitans morboſo in littore ſedes
Labe novâ infames; quos ceperat acre venenum
Frendebant medio terebrati abdomine; mox ut
Repſerat extremos morbi violentia in artus,
Tenſa velut valido membra omnia ſune rigebant,
Nec vis ulla ſuper, nec motûs ulla facultas.
Ille malo arreptus, Phœbeas jugiter artes
Implorabat inops, dedit & medicamina Phœbus
Nequicquam, at ſolitis conatum luſit in herbis,
Donec inauditam melior fortuna medelam
Præbuit, & facili reparavit damna Tabaco.
Inde colit munus Divûm, multoſque per annos
Obtinet illæſam fumo conſtante ſalutem,
Cum prius incerto vitæ, tremuliſque lacertis
Importuna lues, necdum ſuperata rediret:
Nempe ſalis pungens acies obtuſa ſopore
Deſiit in molles mucronem intendere nervos.

Sic

Sic ubi radicem dentis deterrimus humor
Vellicat, ardentemque inflavit tubere duro,
Qualem offert nucibus concluſis ſimia, buccam,
Fumus in os veniat, parvoque ut tempore clauſus
Manſerit, extemplo gemituſque tumorque recedent.
Sic aliæ migrant afflicto è corpore peſtes,
Quas mala conceptæ ſalſuginis aura creavit.
Labentes pluviæ ſublimi è fornice tecti
In teneros folles, quibus inſita flamma movendo
Vivit, & in numerum flatu modulante, fovetur,
Denſatæ in mediâ pendent regione, foraſque
Ante, levis quam ſit membrana arroſa, feruntur.
Quid referam tumidas fauces, laqueumque latentem,
Helucum, & ſubitâ dubios vertigine greſſus,
Clangoſaſque brevi minitantia flumina nares?
Omnia mulcentur fumo, ſi provida cura
Maturat, ſeras nec opem producit in horas.
Sunt, quibus occultis mordax contagio membris
Offecit, ſeu ſpurcities nitroſa canales
Raſerit urinæ, vel apertum fæcibus anum;
Hinc quoque luctifico requiem ſperate dolori
Qui matulæ ingemitis, qui clavos inter acutos
Horrida Caucaſei depingitis ora Prometheî.
Non ego vaticinor, Parnaſſi aut ſomnia fingo;

Nota

Nota loquor, quæque ipſe prius crudelia ſenſi,
Quam facies Pæti mirandaque nota foret vis:
Namque (fatebor enim) luxu tranſacta juventus
Cum Baccho, Satyris, & ſuavi iſto comitatu,
Hic illic vetulo rimas in corpore fecit,
Subjecitque malis, quæ magna eſt noſſe voluptas,
Sanaſſe utilior, noſtroque probata periclo
Certius in populi juvat uſurpare ſalutem:
Sed quia par cura eſt triſtes expellere morbos,
Et validos ſervare habitus, quæ cautio ſanis,
Diſcite, quiſve modus; nec enim omnibus omnia proſunt.
Oderunt alii naturâ, ut triſte venenum,
Deficiuntque animo ad folii fumantis odorem:
Stultè alii damnant, novitas quia diſplicet omnis,
Quod ſine Pæto atavi meliores ſtirpe ſequenti
Conceſſum à ſuperis egere ſalubriter ævum.
Abſtineant ambo: nec enim pugnare decorum eſt
Naturæ, aut rectam invitis infundere mentem.
Si quis amat, ſapienter amet, nec Simius alter
Conſilio, & ſine fine aliorum irrumpat in actus.
Sunt qui fumum ideo, ut potent tantummodo, potant,
Urbanos inter ne non habeantur amœni,
An proſit noceatve ſibi ſus deque ferentes:

Ruſticus ille, maluſque pudor: nam vel juvat hauſtus,
Vel lædit, te ipſum noſcas, & idonea fumo
Corpora, ne ſerò tandem tua damna queraris.
Si cui grande caput proſtanti fronte rotundum,
Lati humeri, pectus patulumque, toroſaque membra,
Sub cute obeſa caro, pituitaque multa palato,
Is bibat impunè, & repetito indulgeat hauſtu,
Si libet, & juſtos ſumendi reſpicit uſus:
Parcius attingant graciles, quibus ardua cervix,
Frons anguſta, caput minimum, præcordia preſſa,
Excarneſque genæ, & paucâ mucagine nares.
Ollis ſpirituum ut brevis eſt Annona cerebro,
Obruitur facile conferti aſpergine fumi,
Haud ſecus ac nebulæ hyberni caligine ſolis.
Compoſiti validis biberint ſi largiùs æquo,
Occupat ignavos torpor, defeſſa quietem
Membra petunt, nervis velut ex ætate ſolutis,
Mane tremunt, altaque obeunt in luce ſoporem.
Quod ſi præterea roſeus color inficit ora,
Et ſubeunt tuſſes, & denſus anhelitus, illum
Ejurare tubos jubeo, charoſque ſodales,
Ne redimat nocuos vitæ diſcrimine luſus.
Illi pulmo flagrat, putrive uligine turgens
Febrim corde fovet, lentoque abſolvitur igne.

Sed

Sed ſi tantus amor fumi, nec tendere contra
Vota libet, cæco ratio ſed cedit amori,
Bechion arentem ſumat, fumumque capeſſat,
Non metus hinc fuerit, ſed ſpes non vana ſalutis:
Nec (moderatus enim) accendit calor, at levis aura
Ulcera deſiccat, ſaniemque è pectore ducit.
Denique ſi qua vehit tectam cauſa abdita tabem,
Seu mala per totum diffuſa injuria corpus,
Seu cita febris erit, læſi vel viſceris æſtus,
Ah! tibi ne tanti ſit pernicioſa voluptas.
Declina illecebras, & quamvis parcere durum,
Parce tamen, certæ & caveas auctaria cladis.
Eſt etiam quandoque, ut, quà data porta, ſubinde
Erumpat ſus deque cruor, lethumque minetur,
Et vomitu ruat, & laxis fluat alvus habenis:
Quicquid contigerit, feralia pocula mitte,
Nec libeat nocuas immittere faucibus eſcas:
Sanguinis hinc fluvii creſcunt, vomituſque ferocit,
Vitaque disjectis tandem cum fæcibus exit.
Judicio hic ſiſtor rationis tollere viſus
Quod poſui: nam ſi Pæti gravis herba ſoporat,
Et ſopor excrementa tenet, damnatur inique
Quod juvat & laudem meruit; bene præmonet, inquam,
Quiſquis is eſt, nodum neque diſſolviſſe pigebit:

Hunc ergo jubeo in mentem revocare, quod olim
Sanximus, adverſas ſimul hîc ſubſiſtere vires;
Nempe ſale hinc ſtimulat naturam pellere tardam,
Ac veluti vivis pigram calcaribus urget:
Parte aliâ exhalans nebuloſo ſulfure ſomnos,
Siſtit, & effuſum facili compeſcit habenâ.
Ac velut indomitus ſonipes juxta ilia foſſus
Evolat, & fræno deinceps parere recuſat;
Sic ubi depultrix validè movet, & retinendi
Vis labat, ut leviter tacta eſt, ruit impete multo,
Nec motam retinere leve eſt, nec tollere lapſam,
Et magis effluxiſſe nocet, quam clauſa manere:
Uſque adeo multum eſt rerum momenta, modumque
Temporaque, & quæ ſit cunctis natura, tenere:
Sic virtus viget ipſa, viget quoque corporis ætas,
Utraque deliquio tandem Nimioque labaſcit.
Nil melius vino; vinum tamen omnibus æquo
Non datur in cyatho, nec ſugitur omnibus horis;
Immo etiam quandoque necat, quandoque furorem
Suſcitat, interdum rationem largior hauſtus
Obruit in ſpatium, quo mobilis orbita cœli
Volvitur, inque locum redit unde exiverat ante.
Solvitur interea ſtrictis niſi crapula vinclis,
Ebrius expirat, ſaltem expiraſſe putatur.

Haud

Haud procul exemplum : nuper Satyriſcus Adonis,
Dum tua feſta colit rex ô Lenæe ſepultus
Et vino & ſomno, ſub terram ut mortuus ivit ;
Poſtridie effoſſus vitæ manifeſta receptæ
Signa dedit, capite effracto, manibuſque cruentis,
At miſer adverſus mortem cubitoque genuque
Confligens, animam clauſâ colliſerat arcâ.
Quid tam funeſtum noſtræ adverſarius arti
Objiciat? nulli, quantumvis multa, obeundi
Cauſa fuit, mentem nulli, quod conſtet, ademit.
Contra lætitiâ in magnâ, dum po'cla ſalutis
Ordine diſcurrunt, ſi quis temerarius audet
Jura inſana ſequi calicum, pugnamque laceſſit,
Ne titubet ratio, aut greſſu titubante vacillet,
Arripiat tubulum, medicam intermiſceat auram,
Surget inoffenſo vultu, bene condita verba
Sobrius exponet, fumi dum neſcia turba
Inſtabilis prodet vibrantes fronte lucernas,
Et greſſu inſolito dabit irriſoribus anſam.
Nempe tuus fumo, Bis-nate, retunditur ignis,
Mobilis & rabies blando torpore quieſcit.
(Nec ferat invidiam quæ dat tibi copula laudem)
Non melius lapidi Herculeo Chalybumque metallo
Convenit, optatum quam quærunt vina Tabacum :

Sic operas præſtant inter ſe, junctaque multo
Nobilius ſapiunt, quam deguſtata ſeorſim.
Denique mortales, quantum eſt, conducit in uſus,
Nec quicquam, ut ſuis occiſi, non utile; flammæ
Qui ſuperat poſt fata cinis rubigine fœda
Defricat, & flavos facit excandeſcere dentes:
Fumus & ipſe (novum auditu) conſiſtere juſſus
Parot, & emiſſus per conniventia labra,
Ore manu impreſſo, fulvum denſatur in unguen
Virginibus carum, quibus à ſerpigine longâ
Prurit ſcabra manus, manantibus undique rimis;
Lævigat admotum, & ſplendorem inducit eburnum
Non ſine portento; nec parvo gratia conſtat.
Namque per arcanos penetrabilis aura meatus
Cor quatit, & ſtomachi vinclis utrinque ſolutis,
Æolium ventis ſubvertit olentibus utrem:
Sed vita incolumi, ridentibus affatim amicis,
Inde metus tutos, decus inde doloribus emptum.
Jam bona decerpſi: nunc ſi quæ incommoda ab uſu
Obveniunt, ſeu ſint verè, ſeu vera videntur,
Expediam, longâ nec vos ambage morabor.
Inſimulatur enim, claræ quod mentis acumen
Obtundat, ſpecieſque locis poſituque decenti
Confundat tenebris, & nigra oblivia ducat:

Crimen

Crimen atrox; ſed quod vel prava calumnia finxit,
Vel bona ſimplicitas: non eſt, quia non potis eſſe:
Immortalis enim cum ſit mens, ortaque cœlo
Portio, corporeis non eſt obnoxia damnis.
Actio recta quidem, ſi læditur inſtrumentum,
Læditur ad tempus, causâ durante, ſed ipſa
Mens intacta manet, quanquam, ceu nubibus atris
Circumfuſa latet, radioſque occultat inertes.
Non aliter Phœbi quam lucida tela Dianæ
Intercepta globo, vel tegmine nubis opacæ,
Tempore non longo noſtris tolluntur ocellis;
Nec minus ipſe tamen ſincero candidus orbe
Ardet, & innumeris lucem communicat aſtris:
Sic animo nulla eſt, animi niſi crimine labes:
Deſidia, & luxus, levis inconſtantia, & ira
Ingenium obtundunt, lumen rationis inumbrant,
Permiſcentque notas tabulis, & nomina delent.
Quilibet id meminit quod amat, crebroque revolvit.
Da mihi de multis fumi potoribus unum,
Creditor, aut plenæ cui ſint oblita crumenæ
Scrinia, deſponſæ vel notum limen amicæ,
Et dabo de fumi multis oſoribus octo,
Aut plures etiam, proprium cognomen, & acta
Heſterna, & patriæ oblitos elementa loquelæ.

Scilicet aut nocuum virus, vel peſtifer ignis,
Aut morbus ſubito ſumens à verbere nomen,
Aut nimium palpata Venus vergente ſenectâ
Læſerat officium cerebri, nec congener æthræ
Spiritus everſâ poterat durare fabrinâ.
Quod ſi præſtanti folio ſuppreſſa periret
Vis reminiſcendi, cur tot prægnantia rebus
Pectora vaſtitiem quæſitæ laudis amarent?
Qualia nota, quibus nihil ignoratur eorum,
Quæ callere licet, quibus eſt dilecta voluptas
Condere res animo, populique aſtante coronâ
Condita mente prius memori diffundere linguâ?
At thalamos contriſtat iners, piger halitus, ipſo
Caſtior, abſtruſas partes qui faſcinat, agno.
Audio fœmineas voces; nam maſcula virtus
Laudarit potius rabidi ſufflamen amoris.
Non hodierna quidem infirmi querimonia ſexûs;
Matronis odium eſt, ex quo Vulcania conjux
Frigore ſuſpectam gelidis certare cicutis
Inferri in Cyprum vetuit Cytherea Paphumque,
Bello nempe redux inter convivia Divûm
Evius ut domitæ obtulerat nova gaudia terræ,
Jupiter ante alios, & cum Jove Mulciber & Mars
Atlantiſque Nepos, & nectare plenus Apollo,

Fumi-

Fumivomis olidam ſimularant naribus Ætnam.
Ridebant novitate Deæ, ſed nocte ſoporâ
Offenſæ ſtatuere ſuo depellere cœlo
Theſſalicos ritus, vigileſque tenere maritos.
Ergo poſtridie ſimul ac fumoſa ſupellex
Prodit, prima Venus cœpti manifeſta protervi
Involat in mercem, buxumque & pulverem, & ignem
(Tam facilis Divæ Superis mirantibus iras)
Subverſos pedibus ſummo deturbat Olympo.
Sic laſciva Cypris inſaniit: at Jove nata
Bellatrix, nemorum Virgo, Pindique ſorores
Sparſas relliquias gremio legêre, patremque
Thyrſigerum obnixè nova ſupplementa rogarunt;
Subſidium & voto gratis retulere pudico,
Ingens opprobrium verò, ſi Cypridis æſtum
Temperat, imperium menti, membriſque vigorem,
Virtutumque decus rarâ virtute tuetur:
Non extinguit enim Nymphææ aut cannabis inſtar
Naturæ inſtinctum; ſobolis nec munera tollit,
Fors numerum minuit; ſed fræno arctata Cupido
Quod demit numero, generis bonitate reponit.
Grande bonum, ſi vel tenuis fortuna parentum
Non premitur multâ prole, aut reſpublica gaudet
Fortibus & juſtis potius quam plebe frequenti,

Utilis

Utilis hinc adeo ſenibus, primæque juventæ,
Frugaleſque cado in ſummo ſibi præſtat, & imo,
Dum celeres flammas, cinereſque ſubinde tepentes
Aut ſedat ſubito, aut ut fusâ diluit undâ,
Stultitiâ facili canos, pubemque furore,
Indeque prognatâ ſolvens vertigine Mundum.
Ne deſpecta tamen veſtris prorſum exulet hortis
O dominæ! in duris & habet ſua commoda rebus.
Errantes uteros ſurſum trans ſepta ruentes,
Et tenſum veluti ferientes ariete ventrem,
Si qnando oppreſſus pulmo ſublatus anhelat,
Deprimit, inque ſuas cogit deſcendere ſedes
Ocyus, incumbens binûm quam centurionum
Pondus, & impoſiti denſiſſima ſarcina plumbi.
Porro nulla ſeni, ſi vitea pocula demas,
Commodiora dedit mater bellaria tellus,
Seu ſervanda venit naturæ annona fovendo
Humorem ingenitum, ſuavem fundendo vaporem
Arenti cerebro, pellendo aut ſenſibus hoſtes:
Namque aciem lippis acuit; cui ſtiria pendens
Naſum hebetat, reddit ſiccatâ nare ſagacem,
Diſſolvitque graves ventosâ ex aure ſuſurros,
In mente ut melius ſapientum dicta recondat,
Colloquiiſque diem moroſaque tædia fallat.

Quod

Quod ſi quis damnoſa luens delicta juventæ,
Nocte crucem ſcapulis geſtat, ſomnumque recuſat,
Hic quoque ſolamen quærat, requiemque labori;
Non tantum ſopor in venas obrepet amicus,
Unde dolor cedat, ſed, ne nox longa putetur,
Somnia pulcra dabit, rerum & ſpectacula viva
Offeret ante oculos: non qualia monſtra figurat
Torrida, bilis atrox, faba, lentes, cæpa, phaſelus:
Allia, & altercum fatuum, magicumque ſolanum,
Si quis edat, medio in ſomno ſpectare putabit
Horrendas facies, confuſaque ſæcla animantum,
Quæ nec ſunt, nec erunt; harpyas æquore nantes,
Aëre Centauros, fiſsâ tellure Draconum
Agmina, & ore nigro jaculantes Dæmonas ignem.
Quin etiam in ſubitâ ſibi tempeſtate videtur
Æquore ſorberi, & motis luctator in undis
Brachia anhelus agit, celsâ modo rupe volutus
In mare collabi, ſonitumque excire cadendo:
Latronum gladiis adigi, modo compede fractâ
Adſpicit exertis inſurgere dentibus urſum,
Auxilium inclamat nonnunquam vocibus altis,
Interdum gemitu: Donec formidine ſomnum
Excutiat, puncto necis experrectus in ipſo,
Exanimis, gelido perfuſus membra madore.

Longe

Longè aliter pictis nocturna aulæa figuris
Lætificat noſtro eductus ſuffimine Morpheus,
Senſibus internis Naturæ congrua fingit
Privato & genio; quæ quiſque in mente revolvit
Luce vigil, vel amat, gratiſſima nocte recurrunt.
Aulicus, orator, medicus, mercator, agyrta,
Navita, piſcator, miles, auriga, poëta,
Agricola, & pictor, cerdo, patronus, amator,
Sopiti peragunt conſueta negotia, non ut
Sponte rudes cernunt dubitanti lumine formas,
Vel nuper natam per euntia nubila lunam,
Eſſe putant quodcunque vident. Non ſegniter aurem
Incendunt dictis, atque enthymemata cudunt;
Ædificant verſus, claro quos mane fatentur,
Atque alia expediunt alii, ne ſomnia credant
Eſſe, nec affinem morti, niſi nomine, ſomnum.
Non lethæus enim eſt opii ſopor, omnia ferreis
Interiora ligans, immotâ ut lege, catenis:
Non etiam ambiguæ turbatrix umbra cicutæ
Senſibus injicens illuſis frivola vincla.
Quæ nec mota tenent objectis membra figuris,
Nec penitus vigilare ſinunt: ſic altera Baucis
Et conjux teneras cœnati forte cicutas
Effoſſas in agro, quas falſæ ab imagine formæ

Credi-

Crediderant ſiſer eſſe, aut notæ Baucidis herbam,
Poſtquam feſſa humili poſuiſſent membra grabato,
Nec vigiles, nec adhuc ſomni ſub pondere victi,
Exiliere toro; prior hæc, mox ille, vagatique
Atria per tugurî brumali nocte, rigentes,
Attoniti pariter, deliria mira ſtupentes,
Livida de trabibus retulerunt membra grabato.
At ſopitus homo claro ſpiramine Pæti
Gaudia pacificæ noctis tranſacta retractat,
Et vigil ad ſolitum redit æquâ mente laborem,
Si modo laudatum fuerit, non vile, nec arte
Fictitiumque dolis. Namque omni electa Tabaco
Non eadem eſt bonitas: generoſum ab origine primâ
Aſperum erit, denſum folio, pullumque tuendo,
Jucundum longe & late diffundet odorem
Permiſtum violâ, aut aurâ radicis Etruſcæ
Incenſum referet guſtanti rite palato
Aſſyrium Aſphalton, cauti vel Caſtoris orchin:
Quod folio tenue eſt, Autumni frondibus æquum,
Quale in Virginiâ, & Bermudæ naſcitur arvis,
Abjice, & aurigis fœnum, nautiſque relinque:
Pungit enim tunicas oculi, cerebrique volucra;
Qui bibet, ille graves ad opus mirabitur armos,
Pandiculator erit, malas diducet hiantes,

Et,

Et, nisi acuta fames stimulat, projectus ad ignem
Gaudebit feram stertendo adducere noctem.
Ante alios fugite ô Musarum sancta propago,
Qui veterum è chartis Sophiæ defossa metalla
Eruitis vigiles, deprensum per sua signa
Profligate scelus mangonum, & tradite flammis.
Est qui delicias alieno ex orbe petitas
Captat adulterio, dum, quam Scytha fuste peremit,
Miscet odoratæ tabum ferale capellæ.
Stillam alius marathri jungit, vel pinguis anisi,
Chalcanthive notam, quæ linguæ affusa saporem
Exhibet, ut Lybicæ mixtâ melligine cannæ;
Omnia damnosè, ne dicam molliter: artem
Qui Naturæ adhibet, matris nisi consulat ora,
Turbat opus, non addit opem: quod si tamen unquam
Lascivire libet, laudique adjungere laudem,
Sumite lignum aloes, cujus levis affula pleno
Fixa tubo totum fragrans perfundet acervum,
Et cerebri ventres grato recreabit odore.
Sed neque congestis dapibus conjungite fumos:
Inde coqui turbatur opus, si clausa supernè
Ostia pulsantur, tum semielixa deorsum
Fercula succensens mittit, quæ didita chordis
Seditionem alvo ventosaque murmura miscent,

Su-

Sudum animo & placidis populata laboribus horas.
Pernitioſum etiam nudato admittere frigus
Vertice, vel vacuo Pætum potare camino:
Verberat aura cutim, recluſa foramina ſtringens,
Trans galeam teneras convellit acumine fibras,
Et capiti pondus, horrorem crinibus addit:
Neu libeat ſolum calamo indulgere, nec ultra
Luxuriando modum cerebri complere cavernas;
Alternis ſumatur; amant alterna Camœnæ,
Confertum natura fugit. Tibi terminus eſto
Vertigo occipiens, quæ, ni ſimul orta recedat,
Adbibe lene zythum, vel aperto ſub Jove frigus,
Omnis & exiguâ ſedabitur arte tumultus.
At poſtquam capitis modulum cognoveris, intra
Fines curre tuos, nec te quæſiveris ultra.
Naturæ quiſquis ſervaverit ordine leges,
Ille mihi ſanus, ſapiens erit, atque beatus.
Talia ludebat Vetulus: narrantis ab ore
Heroûm reſupina cohors ſuſpenſa filebat,
Docta quidem vires, ſed inops tam nobilis herbæ
Progeniem optabat, renovandi & ſeminis artem.
Blæſus at ille ſiti, ſomnoque propinquior, uno,
Sed longo, ut maduit, ſubito quoque ſtertuit, hauſtu.
Nos veniam fati, feſſi licet, & ſitibundi,

Abſol-

Abſolvemus opus, & quæ Silenus omiſit,
Summa Tabacophilis culturæ arcana canemus.
Principio, ut meſſis reſpondeat ampla labori,
Sume medulloſum generoſo è germine ſemen,
Cui folium oblongum, craſſum, nulloque pedunc'lo
Inſeritur trunco, ſed ab ipſo ſtipite ſurgit.
Proxima cura loci; tam ſtrenua planta recuſat
Segne ſolum; felix animoſo creſcit in agro
Qualem vitis amat: colles, objectaque ſoli
Arva legas, ubi terra levis, non marga ligoni
Obvia, non argilla tenax, non obſita muſco
Teſqua, nec impreſſo flentes ſub vomere glebæ.
Ne tamen egregiæ quantumvis indolis agrum
Bis ſere, ſi plenæ ducit te gloria meſſis.
Prima rapit fœtura animæ quodcunque virile eſt,
Effœtaque uterum delumbem in matre relinquit.
Verte ſolum, ſedeſque novas adſcribe quotannis
Hoſpiti inexpleto, feſſis gratiſſima ſulcis
Dum permiſſa quies pingui lætamine robur
Suppleat, exhauſta & genium per viſcera fundat.
Nactus agrum urge operas; ne ſit ſolertior alter
Ordine deſcriptis ſpatiis pertundere terram,
Ternaque vel plura in parvum dare grana foramen,
Diviſa æquali ut vegetabilis aura tenore
In-

Inſerat æqualem folia in ventura vigorem.
Quod ſi caſſum aliquod fallit, vel cedit in eſcam
Muribus, aut roſtro fodientibus omnia talpis,
Spes de relliquiis ſuperet; ſi ſoſpite turbâ
Denſior ortus obeſt foliis, tabeſque timetur,
Videris ut crebram tellure exurgere gentem,
Thrax eſto, patriæ leges imitare ſeveras,
Imminuas numerum, multiſque è fratribus unum
Linque ſolo, vacuâ melius quo creſcat in aréâ,
Attrahat & plenum nutricis ab ubere ſuccum:
Mox ubi pingue ſolum, longique in tempore ſoles
Luxuriem foliis dederint, in caudice robur,
Tempus erit terræ vicinas ſtringere frondes,
Major ut in ſummo claudatur cortice virtus,
Et ferat à juſto bonitatis judice palmam.
At ne præcipites meſſem; ut nigreſcere ſemen
Cœperit in calyce, & folium mutare colorem,
Arma para, & cultros: vindemia nobilis inſtat,
Et merces operæ; luces optate ſerenas
Pæticolæ; nec enim folio minus officit imber,
Quam September obeſt maturis humidus uvis:
Tunc mete: dimidia eſt tibi jam decurſa laboris
Meta; quod hinc reſtat, curâ haud leviore gerendum:
Fruſtra etenim ſtudium omne fuit, generiſque ſolique

Gloria, ni ſummo veniat ſpectabilis actu.
Hîc duo ſollicito tibi ſunt curanda labore:
Abſumendus aquæ, genitor putredinis, humor,
Ne fimus è folio fiat, mox ſpiritus & vis
Ignea, quæ pingui velut abdita dormit olivo,
Excutienda, ſuos & deducenda per artus.
Ergo, ne æthęream Sol fervidus hauriat auram
Sub tecto, longâ ſuſpenſa ę cannabe paulum
Areſcant folia, & parvo poſt tempore ſtratâ
Congere acervatim, calor ut collectus ab imo
Turgeat, & cæcas diſtendat ad extima vires.
Sic cumulata tepent primò, tepefacta tumeſcunt,
Mox oritur ſudor, ſequitur nubecula fumi,
Et, niſi deſtruitur moles, tranſibit in ignem,
Ut portata domum nondum ſatis arida plauſtris
Gramina conſtipata flagrant, tectiſque minantur.
Tu diſperge ſtruem, ſuſpende, iterumque repone
In cumulos, ſeriemque tui pervade laboris,
Dum fervendo animæ veniat vis omnis in actum,
Siccando & maneat, neque diffundatur in auras.
Hîc oculis opus, hîc ductu rationis & uſu:
Nam brevis eſt nimii, brevis eſt quoque linea pauci,
Et gaudet natura modo; ſed ſi tamen uſquam
Peccatum, ut poſſis culpam ſarçire, docebo;

Non

Non ardente mero, aut muriâ, non melle, minuſque
Auxilio matulæ, mangonia qualia tentant
Caupones, pretii quibus eſt odor ante ſalutem;
Subſidium ex ipſo poſces; prælo exprime ſuccum
Vilibus è foliis, quæ dextræ incuria paſſim
Præteriit, tepidaque ſinas ſpumeſcere in ollâ,
Decrepitum immergas labro, reddeſque juventæ.
Hæc ſat erunt: jam quære ratem: merx ampla coloni
Augebit cenſus, & vectigalia regum,
Mercantûm & loculos; naulum fortaſſe medenti
Auferet, autumnos populo factura ſalubres.
Forte etiam è furcâ donabit prandia corvis,
Ceſſator ſi pauper emit, meliuſque locandas
Difflat egeſtatis vicinæ improvidus horas:
Sed bene dum modo ſit frugalibus atque modeſtis,
Turba perire volens, pereat; quicunque ſalutem
Abnuit, is careat; nec rerum ſubruat uſus.
Cui mala lis, ratis in pelago, præpoſtera conjux,
Aut dolor impatiens, nutans aut debitor æris
Eripiunt ſomnos oculis, animoque quietem,
Is faciles leni ſolio debere fatetur
Inducias, meritamque refert pro munere laudem.
Quotquot in adverſum judex moroſior æquo
Evomit ampullas, ventis mandamus, & undæ;

Orco devoveat, mox ſubventanea furvi
Dæmonis ova vocet, placando & idonea Diti,
Perſephones mulſum, Furiarum thus & odorem,
Et de Cerbereâ germen lethale ſalivâ;
Ridemus titulos, & verba poëtica pleno
Gutture laudamus, ſimilique reponimus arte.
Si quis amans veri nobis diſſenſerit, author
Conſilii alterius, quod pectore claudit, in albo
Scribat, & hos ſenſus rectâ ratione refellat.

RAPH. THORIUS, *M. D.*

Clariſſ. D. PAULO HERMAN *M. D. Prof. Botanices* Lugduni Batavorum, *Hortique Præfecto; ex* India *reverſo.*

ODE.

HERMANE, plectrum Threïcium Tibi
Movere tendo; Quod ſimul impulit
Orpheus, feruntur inſecutæ
Harmoniam, tua cura, Sylvæ.
Largam canenti materiem admovet
Hermanus; almis nomen amabile

Plantis,

Plantis, & inſcribi quod ultro
Corticibus petat omnis arbor.
Illius artem Javius, & ſuo
Bantamus auro concolor, & Sina
Invita commendat; nec uno
Facta viri ſonat ore Ganges.
Multas ab Indâ gente recepimus
Merces opimas; Nulla tamen ratis
Contendat illi, quæ reduxit
In patriam Batavumque cœlum
Te dulce pondus: Te, quia conſcium
Terræ feraci, Te, quia nobilem
Docere Plantas, quot recenti
Tertia Lux patefecit Orbi.
Urbs *Leyda* centum fertilis artium
Mirè ſagaces percutit Hoſpites,
Quotcunque deducit per Hortum
Elyſio minus invidentem.
Hâc parte ſurgunt (heu, celeres mori!)
Flores, & omnis copia narium,
Felix Odoranti placere,
Dum pariter placet Intuenti.
Hâc parte, terrâ matre remotior
Vertex decentûm tollitur Arborum,

Quales

Quales in Adami beatis
Ordinibus potuere naſci:
Myrtus polita, & Pierio choro
Quæſita merces Laurea, nec minus
Quæſita Vitis, & perempto
Fida comes Domino Cupreſſus;
Et multa Sylvæ filia nobilis
Pulcrè explicatur; Quæ Mihi, quæ Tibi
Subtus recumbenti Coronam
Exhibeat foliis, & Umbram:
Locatus illo ſoſpes in angulo
O quale Carmen pollice ducerem,
Humi reclinis, inter Undas,
Inter Aves, pariter ſonoras!
Non me Britannum vinceret Itala
Pubes canendo: Non ego cederem
Libens vel Urbano, vel auſæ
Grandia Sarbivii camœnæ.
Hermane, vives tempus in ultimum:
Nec ſi Tuorum gloria tranſeat
Caduca Florum, Tu peractâ
Luce brevi morieris æquè.
Sed quale fuſcâ Marmor in *Africâ*
Foſſum, decoræ materies domûs,

Firmatur annis, & benignâ
Auxilium capit à ſenectâ:
Hâc ſorte, curis partus Honor tuis
Vigebit: Illum cuncta dies alet
In majus, Illi ſemper ætas
Adveniens pretium arrogabit.

ED. HANNES, *A. M. ex Æde Chriſti Oxon. & Academ. P. P. Chymiæ.*

FINIS.